DE
JOANNIS DE MONSTEROLIO
VITA ET OPERIBUS

SIVE

DE ROMANARUM LITTERARUM STUDIO APUD GALLOS INSTAURATO
CAROLO VI REGNANTE

THESIM

PROPONEBAT

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

Antonius THOMAS

CHARTARUM ALTORUMQUE STUDIORUM SCHOLARUM OLIM ALUMNUS,
GALLICAE QUAE EST ROMAE SCHOLAE NUPER SOCIUS

PARISIIS
APUD ERNESTUM THORIN EDITOREM
7, VIA DICTA DE MEDICIS, 7

MDCCCLXXXIII

DE

JOANNIS DE MONSTEROLIO

VITA ET OPERIBUS

TOLOSÆ. — EX TYPIS A. CHAUVIN ET FILS, VIA DICTA DES SALENQUES, 28.

DE

JOANNIS DE MONSTEROLIO

VITA ET OPERIBUS

SIVE

DE ROMANARUM LITTERARUM STUDIO APUD GALLOS INSTAURATO
CAROLO VI REGNANTE

THESIM

PROPONEBAT

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

Antonius THOMAS

CHARTARUM ALTORUMQUE STUDIORUM SCHOLARUM OLIM ALUMNUS,
GALLICAE QUAE EST ROMAE SCHOLAE NUPER SOCIUS

PARISIIS

APUD ERNESTUM THORIN EDITOREM

7, VIA DICTA DE MEDICIS, 7

MDCCCLXXXIII

OPTIMO ET ORNATISSIMO VIRO

A. GEFFROY

GRATI ANIMI PIGNUS.

INDEX BIBLIOGRAPHICUS

I. — *Opera Joannis de Monsterolio typis mandata.*

1° *Epistolae selectae LXXIV*, apud D. Martène, *Veterum scriptorum et monumentorum amplissima collectio*, t. II, col. 1311-1465; editum est hoc volumen anno 1724.
2° *De gestis et factis memorabilibus Francorum*, apud Joannis Lami florentini *Deliciae eruditorum*, t. III, p. 17 (anno 1737). Hoc opusculum jam in *Ampl. Collect.* editum erat, ubi supra.
3° Libellus adversus Anglos gallice scriptus, in *La Cronique Martiniane*, t. II (Paris, Vérard, circa annum 1502).

II. — *Opera in quibus de Joanne de Monsterolio sermo factus est.*

Essai historique sur la collégiale de Saint-Pierre à Lille (Lille, 1850), pp. 63 et 71.
Foppens, *Bibliotheca belgica* (1739), II, 698.
La Croix du Maine, *Bibliothèque françoise* (1722), I, 555.
Lebeuf (L'abbé), *Mémoire sur les chroniques martiniennes*, lu à l'Académie des inscriptions et belles-lettres, le 1er juin 1745 (XX, 253).
Le Glay, *Mémoire sur les archives du chapitre de Saint-Pierre de Lille* (Lille, 1856), p. 18.
Martène, *Amplissima Collectio*, II, 1310.
[Paquot], *Histoire littéraire des Pays-Bas* (1767), IX, 150.

PASQUIER (Estienne), *Les Recherches de la France*, liv. II, ch. 17 (1643, p. 140).

SALLIER (L'abbé), *Examen des reproches d'injustice et de mauvaise foi que quelques historiens anglais font à la mémoire de Charles V* (Mém. Acad. insc. et belles-lettres, XVII (1751), p. 339).

IDEM, *Histoire abrégée du procès qui s'éleva au commencement du quatorzième siècle entre le roi de France et le roi d'Angleterre* (*Ibid.*, XX, 459).

VOIGT (Georg), *Die Wiederbelebung des classischen Alterthums, oder das erste Jahrhundert des Humanismus*, zweite Auflage (Berlin, 1881), t. II, p. 347.

NOTARUM EXPLANATIO.

A. C. = *Amplissima Collectio* (edid. Martene).
Cod. = Cod. Paris. Bibl. nat., *Lat.* 18337.

PROOEMIUM

Joannis de Monsterolio, praepositi Insulensis, plerisque aetatis nostrae vel eruditissimis viris nomen ignotum esse fatendum est. Quamobrem illius memoriam, temporis lapsu paene obrutam, in lucem revocare studuerim, si quis sciscitatus fuerit, dicam. Joannes noster Carolo VI, Francorum regi, ab epistulis fuit; plurimis ad summos pontifices, imperatores, regesque legationibus functus est; clarissimis illius aetatis scriptoribus iisdemque magni in publicis rebus momenti viris, non gallicis tantum ut Petro de Alliaco, Joanni Gersoni, Nicolao de Clamengiis, sed etiam italicis, ut Colutio Florentino Leonardoque Aretino amicitia conjunctus est; litteris studuit et varia studii sui monumenta posteris reliquit; patriam denique ea caritate coluit ut vitam pro ea impendere non dubitaverit. Quae cum ita sint, haud scio an propositum nostrum aequum consentaneumque demonstretur. Hoc tamen ante omnia mihi gravissimi ponderis fuit ut famam Joannis de Monsterolio jacentem excitare voluerim, quod litteris antiquis studuit. Constat inter omnes, studium antiquarum litterarum post lon-

gam neglegentiam. saeculo tandem quarto decimo in Italia instauratum esse. Hoc opera Petrarcae et Bocatii praesertim factum est; quibus e medio sublatis, plurimi antiquitatis cultores quasi ex eorum cineribus surrexerunt qui opus a magistris incohatum naviter persequerentur. Nomina eorum apud doctos clarissima usque ad nostros dies fuerunt. Quis Colutium, Leonardum Aretinum, Poggium, Philelphum ignorat? Illis Italia patria fuit. Gallia autem (ut vulgata est opinio) multo serius diuturnam Mediae Aetatis ignaviam excussit; non ante saeculum sextum decimum litterarum antiquarum restitutioni animum adhibuisse creditur. Hoc contra, ut opinor, non injucundum nostratibus, probare volui, fuisse in Gallia, Carolo VI regnante, pariter atque in Italia, qui litteris latinis studerent, qui auctores antiquos e pulvere bibliothecarum ad novam vitam revocarent, qui tenebras per Mediam Aetatem collectas abigerent: haec maxima Joanni de Monsterolio laus tribuenda mihi videtur, quod inter eos primus fuit.

DE

JOANNIS DE MONSTEROLIO

VITA ET OPERIBUS

CAPUT PRIMUM.

JOANNIS DE MONSTEROLIO VITA.

Qua in urbe vel quo in pago Joannes de Monsterolio natus sit, ignoratur. Ii tamen qui de illius vita sermonem jam fecerunt illum Monsterolii natum esse affirmant, in oppido Morinorum ad mare sito (1). Eam opinionem, cum nullo fulciatur argumento, ut accipere periculosum ita et impugnare longis verbis supervacaneum mihi videtur. Neque enim constat cognomen *de Monsterolio* Joanni nostro a patria defluxisse, neque, si res ita se haberet, causa ulla esse videretur, ut inter tot oppida oppidulaque Galliae *Montreuil* gallice dicta, illud potius eligeretur.

(1) La Croix du Maine, Paquot et auctor ignotus operis cui titulus est *Essai historique*, etc.

De nomine omnia documenta cum latina tum gallica lingua scripta concordant, ita quidem ut in illis *Joannes* vel *Johannes de Monsterolio*, in his autem *Jehan de Monsteruel* vel *Monstereul* vocetur. Eo magis miratus sum egregiam mulierem Christinam Pisanam ad nostrum scribentem eum *maistre Jehan Johannes* gallice appellasse (1).

De genere ejus nihil, ut ita dicam, novimus. Quendam nepotem suum Garnerium Mercatoris nominat (2); tum in alia epistula haec ait, ex quibus eum non ignobili ortum esse loco haud scio an affirmare liceat : *Est autem miles iste, cum quo idem cognatus proficiscitur, et hi a quibus priscam nobilissimamque traxit originem domini michi admodum speciales et mee quondam magis paterne parentele* (3).

Quo anno natus sit ipse nos docet. In longissima de aerumnis Galliae ad Clamengium suum epistula, de se ipso ita loquitur : *Adeo profecto laus tue beneficentie, quod nunquam pro quavis infirmitate grabato incubuerim integra sola luce nec unquam eguerim inter pares, qui tercium jam et LX annum, ut michi probatum est, preterii ambulans, edens, bibens dormiensque ut pridem* (4). Haec anno MCDXVII scribebat (5) ; natus ergo anno MCCCLIV esse videtur.

(1) Vide infra finem capitis secundi.

(2) Cod., f° 18 r°.

(3) Cod., f° 65 v°.

(4) Cod. Vat., f° 59 r°.

(5) De tempore epistulae eo modo certi facti sumus. Scripta est paulo post epistulam cujus principium est *Epilogo*. In hac autem ea verba continentur : *in causa fidei pendente jam ferme quatuor annos in curia que spi-*

Apud universitatem Parisiensem studuit, nam *vici straminum* memoriam retinuisse eum certum est. De eo hec verba in epistula ad Clamengium facit : *Amicorum grege facto rursus ad partes vehementer est argutum, ut nos diceres ad vici straminum rediisse tumultum* (1). Errant tamen et falluntur qui illic Gontherum Colli et Petrum Manhac, quos praeceptores suos vocat, ab eo auditos esse affirmant (2), quos in studio Parisiensi legisse et docuisse nullum testatur documentum. Jacobum Flamengum certe audiit, quem magistri sui antiqui titulo decorat (3). Sed theologiae studio aut nunquam aut parvo tempore eum institisse credo, cum nullum scholasticum gradum obtinuisse videatur; iis tantum studiis quae in facultate artium tradebantur operam eum dedisse verisimile est.

Ut primum sacros ordines ingressus est, studia et scholas reliquisse videtur ut ad vitam publicam se converteret. Jam a Carolo quinto, Francorum rege, eum in familiam regiam arcessitum esse aiunt, qui ipsius haec verba afferunt, ex epistula ad Clamengium excerpta : *Carolus novissimus et quintus de hoc nomine, quocum*

ritualium omnium suprema est. De concilio Constantiensi agitur, quod cum mense novembri, anno MCDXIV, inauguratum sit, epistula *Epilogo* scripta esse non potest ante anni MCDXVIII initium. Epistula autem in qua Joannes se annum LXIII praeteriisse ait sub fine anni MCDXVII scribi debuit.

(1) Cod., f° 32 r°.

(2) *Essai historique*, p. 93, necnon Voigt, *op. laud.*, p. 347.

(3) « Meque antiquo magistro meo J. Flamengi ultra centies recommenda » (Cod., f° 63 r°). Hic Jacobus anno 1368 inter artistas, anno 1372 inter theologos gymnasii Navarrae reperitur (Vide J. Launoii, *Regii Navarrae gymnasii historia*, p. 91).

viximus satis diu (1). Sed haec verba, cum non ad ipsum tantum sed ad amicum quoque Clamengium spectent, nihil aliud sibi velle mihi videntur nisi ambos sub Carolo quinto diutius vixisse quam ut rerum illo tempore gestarum memoriam non retinuissent.

Majoris momenti ea sunt quae ipse Joannes ad Colutium scribens alibi ait : *Ego autem ea que transmittes cum exquisitissimis meis ducam, inter que illa que pridem michi, dum cum recolende memorie domino Belvacensi degebam, misisti... obtinent principatum* (2). Haec de Milone de Dormantiis, ab anno MCCCLXXV ad annum LXXXVII Bellovacorum episcopo, dicta esse arbitror, apud quem Joannem nostrum diu inter familiares vixisse credo, priusquam in familiam regiam arcesseretur (3).

Neque enim longo tempore ante annum MCCCXCI Joannem de Monsterolio regi Francorum a secretis fuisse invenio (4), quo anno, a. d. III kal. jan. a Clemente VII summo

(1) Cod. Vat., f° 55 v°.

(2) Vide Append., II, 5.

(3) Ad haec congruunt verba Joannis nostri in alia epistula ad Gontherum Colli : « Qui generis ejusmodi sum, ut necessitas me hactenus coegerit, obmittendo quam multa mee discrimina vite, presulum modo, modo regis sub famulatu ac aliorum parare michi quo vitam solarer inopem, et evi parte precipua assidue curias sectari » (Cod., f° 115 v°).

(4) Regesta *Thesauri chartarum* ab anno MCCCLXXX ad annum MCCCLXXXVII (scilicet JJ 118 ad JJ 130) sedulo recognovi, neque ullis regiis litteris nomen Joannis nostri appositum reperire mihi datum est. Nomen habes in litteris datis idibus sept. MCCCLXXXIX in *Ordon. des rois de France*, t. VII. De mercede ejus hoc habes documentum in aliis publici tabularii regestis (scilicet KK 16, f° 34 v°) quae ad annum MCDVIII spectant : *Magistro Joanni de Musterolio secretario regis, pro vadiis suis de XII solidis per diem per C. IIII. XX. dies ad hunc terminum, C. VIII libr., XII sol. par.*

pontifice bullam impetravit ut altare quod aiunt *portatile* secum habere legitime posset (1). Eo officio apud regem Carolum VI usque ad mortem suam functus est, paulatimque effectum est ut eodem apud duces Bituriae, Burgundiae et Aurelianensem, et apud Viennensem delphinum fungeretur. Jam tum canonicus Rhotomagensis erat; quo anno praeposituram Insulensem, cujus titulum usque ad mortem servavit, obtinuerit, comperire non potuimus. Constat saltem eum jam ab anno MCCCXCIV in ea dignitate esse constitutum (2). Neque ideo canonicatum Rhotomagensem renuntiavisse videtur; immo canonicatus alios aliasque ut aiunt *praebendas* prioribus adjecit, et cum ecclesiasticis beneficiis tum civilibus muneribus ditissimus factus est. Confitentem ipsum habemus : *Sunt michi preterea, id me cogit dicere materia, tam metropolitanarum quam cathedralium ecclesiarum plures prebende, estque prepositura tam insignis; sunt simul et vadia atque burse regis perutiles, estque prothosecretariatus domini dalphini Viennensis, sine ducum Biturie, Burgundieque et Aurelianensis consimilibus officiis; est insuper cum Flacco librorum copia et provise frugis in annum, habitationesque plurime quarum unam nulli earum quas mei equales incolunt vellem permutare* (3). Ea tamen fuit saeculi illius honorum di-

(1) Exstat bulla in archivo Vaticano, in reg. Clementis VII antipapae 66, f° 201 transcripta.

(2) Vide infra litteras Ricardi II regis Anglorum. Errant ergo qui aiunt eum in praepositura Insulensi anno MCCCXCVIII Aegidio *de Soircourt* successisse (*Essai historique*, p. 93).

(3) *A. C.*, n° VI.

vitiarumque intemperantia ut etiam sic modestus mereretur dici Joannes noster, novaque sponte oblata beneficia respueret! In ecclesia Belvacensi canonicatum et praebendam habuit (1), et haud scio an in Parisiensi idem consecutus sit (2).

Multis legationibus pro rege Francorum functus est. Anno MCCCXCIV ad reges Anglorum et Scotorum missus est, ut documento a Rymero edito probatur (3) :

De salvo conductu super sacramentis faciendis.

Rex universis et singulis admirallis, etc. Salutem.

Sciatis quod cum Johannes dominus de Blaisy, consiliarius, et magister Johannes de Monsterulio, praepositus ecclesie Insulensis in Flandria secretariusque adversarii nostri Francie penes presentiam nostram de mandato ipsius adversarii nostri infra regnum nostrum Anglie in proximo sint venturi et deinde in terram Scotie transituri ad videndum sacramenta pro conservatione treugarum ultimo captarum inter nos et adversarium nostrum Scotie mutuo facienda, nos ut iidem Johannes et Johannes prosperos adventum, moram, transitum et regressum optineant etc. cum viginti et quatuor equitibus vel sub pauciori numero etc. per quatuor menses etc.

Teste rege apud Westmonasterium XXV die julii.

Vixdum ex illa longinqua peregrinatione redierat, cum in Italiam missus est. Cur et ad quos, ignoramus. De hoc ejus itinere italico solum eum habemus testem ut certum et veridicum, ita brevem :

(1) Cod., f° 56 r°.

(2) *A. C.*, n° XIV.

(3) *Foedera* (Lond., 1728), t. VII, p. 783.

Si non obstitisset, vir venerabilis amiceque peroptime, ingens agendorum involucrum et mei occasione officii ad diversas regiones cursus frequensque recursus, ut qui totius regni Anglie pene longitudinem ac Scotie Italieque magnam partem citra unius anni vel circa defluxum regis de mandato peragravi (1)...

De ejus in Germaniam legatione cum alii historici (2), tum ipse fusius locutus est (3). Lutetia Parisiorum profectus est, sociis archiepiscopo Auxitanensi et nobili viro Taupino de Cantumerula a. d. XIII kal. novembris, anno MCD. Compendium, Montemque in Hannonia transiit, provinciamque Brebantinam, quam injuria non aliam atque antiquam Hervetiam (ita perperam pro Helvetia) esse credit Joannes noster. Illic Taupinus febre correptus decessit; eo sepulto perrexit iter Joannes cum archiepiscopo. Mox Aquisgranum, deinde Coloniam Agrippinam, Moguntiam denique devenerunt, quae ultima legationis meta fuisse videtur. Id tum agebatur, ut rex Romanorum principesque germanici eo adducerentur ut ad concordiam Ecclesiae tentandam perficiendamque se cum rege Francorum sociarent. Quod negotium cum publici juris sit, neque in eo Joannes noster primas unquam partes sustinuerit, non ultra explicandum nobis videtur (4). Majorem forte animum ad mores hominum

(1) *A. C.*, n° LXIV.

(2) Vide monachum sancti Dionysii, II, 764 et suiv.

(3) Scilicet in epistula *Per nimium*, *A. C.*, n° LIII.

(4) Vide monachum sancti Dionysii, et documentum cui titulus est : *Series ambassiate regis Francie exposita Moguntie feria IV post Andree apostoli festum anno domini M°CCCC° per reverendum patrem archiepiscopum Auxitanensem, assistente sibi preposito Insulensi, coram domino rege Romanorum et principibus electoribus*, in *Thesaurus novus anecd.*, I, 1659.

inter quos devectus erat quam ad sua mandata adhibuit Joannes; eos saltem curiose descripsit in epistula, ut videtur, ad Clamengium missa. Barbariem Germanorum non illepide ridet, et patriae laudem toto pectore decantat : *I ergo ad Indos, usque Afros Scitasve aut ultima Tile, mea ut semper est opinio, liberalitate refertam celive potientem temperie aut plenam gratiarum omnimodo gentem supra Francos invenies minime, dicam plane quod sentio, aut que eos etiam longissimo attingat intervallo.* Pulcra verba quidem, et patriae caritate plena, nisi, ut experti sumus, saepius ipsi patriae periculosa fierent!

Anno MCDIV insignem legationem Carolus sextus ad Benedictum XIII Avenionem misit : huic etiam interfuit Joannes, ut ipse id nobis testatur : *existimo te jampridem audiisse dominum meum Biturie ducem patruum domini nostri regis ac nonnullos sue majestatis consiliarios meque in eorum comitatu ad summum proficisci pontificem super facto restitutionis et Ecclesie unionem* (1).

Anno MCDXII profectus est Romam, Joanni XXIII novo pontifici gratulationem pro rege Francorum facturus (2). Tum orationem habuisse coram papa videtur,

(1) *A. C.*, n° VII.

(2) « Et ut sommo pontifici ipse rex filialem reverentiam exhiberet, cum domino ... magistrum Johannem de Monsterolio secretarium suum misit, quibus in mandatis dedit ut magistris Petro de Alliaco et Symoni Cramaut, nuper consiliariis ejus et quos papa in ejus favorem recenter ab episcopatu Cameracensi et archiepiscopatu Remensi ad cardinalatum assumpserat, regni negocia in papali palacio ventilanda dulciter recommendantes, quicquid in consilio factum foret redeuntes sibi serietenus referrent et in scriptis » (Mon. S. Dionysii, IV, 730).

cujus principium hoc est : *Ad quem et a quo missi sumus, dignissime atque sanctissime patrum, et qui sim potissimum conside ans* (1). Pluribus ibi mensibus mansit, ita ut cum Leonardo Aretino, tum papae ab epistulis, insignique litteris viro, amicitiam contraheret. Cum de reditu cogitandum fuit, statuit Joannes ut aliquot dies Florentiae consumeret Nicolaumque Nicolai, Leonardi amicum eundemque librorum antiquorum curiosissimum, viseret. Est Leonardi Aretini quae Joannem nostrum Nicolao commendat insignis epistula, quam hic integram referendam censeo.

Leonardus Nicolao s.

Cum Joanne preposito Insulensi, qui aliquot menses apud nos fuit a rege Francorum legatus, viro humanissimo atque doctissimo et studiorum nostrorum ardentissimo, magna mihi familiaritas est. Itaque non potuit, cum me cognoverit, te pro nostra amicitia ignorare. Multa saepius de me audivit per que, licet te nunquam viderit, tamen et ingenium et suavitatem tuam agnoscit cupitque tecum indelebilis amicitie federa ferire, non cesa porca, ut reges illi prisci, sed cesa et trucidata *pedantaria*, cujus ipse non omnino est expers. Hunc igitur virum, obsecro, humanissime suscipe et bibliothecam tuam ostende ac ceteris officiis tuis prosequere. Cum enim multa sepe, ut dixi, audierit de me, cupio ut talem experiatur qualem sermo te meus illi pollicitus est. Vale.

Ex urbe Roma idibus januarii (2).

Epistulam totam hic dedi, quia id fuit Joanni nostro litterarum studium, ea visendorum litteratorum homi-

(1) *A. C.*, n° XXXIII.

(2) *Leonardi Bruni Arretini epistolarum libri VIII* (Flor., 1741), p. 101 (lib. IV, ep. II).

num cupiditas, ut haud sciam an ex ea epistula et Leonardi Nicolaique familiaritate majorem voluptatem ceperit quam e legatione pro rege Francorum ad summum pontificem obeunda.

Anno denique MCDXIII a rege Francorum ad ducem Burgundiae missum fuisse Joannem historia traditur (1).

De eo post illam legationem publica monumenta annalesque silent. Quid viderit, ex historia, quid senserit e privatis ejus epistulis conjiciendum est. Trucidato Ludovico Aurelianensi duce, Caroli VI fratre (nov. MCDVII), mox civili bello tota Gallia conflagravit. Hinc Burgundiones, illinc ut vocabantur Armaniacenses de regni regisque possessione contendebant, patriaeque obliti Anglos ad occupandam Galliam provocare videbantur. Necem ducis Aurelianensis aegre tulit Joannes, et Armaniacensium partem secutus est, vel potius ubi jus, ubi patriae caritatem esse credebat, ibi stare voluit. Orabant eum amici sui, orabat praecipue Clamengius ut relicta Lutetia in tutiorem locum se reciperet. Indecorum consilium audire noluit (2), neque regem deserere a quo

(1) « Rex promissionis nuper facte nunciis ducis Burgundie memor circa finem hujus mensis per episcopum Ebroycensem, dominum de Dompnapetra admirallum et magistrum Johannem de Monsterolio secretarium responsum secretissimum sibi misit » (*Mon. sancti Dionysii*, V, 210).

(2) Haec ultima verba a Joanne ad Clamengium scripta videntur : « Intempestivi dies nostri scribere prohibent tibi plura, docti vero eloquii tui urbanitas inducit non tacere. Proinde brevem meam accipe sententiam. Stare his diebus precipua in urbe regni in qua rex degere solet ac filius convenientius esse ducunt quam alibi, potissimum homini status in ea solito remanere, dummodo oppositum necessitas non causaret. An verum sit aut secus, dijudica. Bene valere te cupio, frater desiderantissime et amantissime. » Ep. inedita, *Cod. Vat.*, f° 68 v°.

muneribus et honoribus cumulatus erat : magnanimitatem sanguine luit. Anno MCCCXVIII, mense junio, Burgundiones, qui jamdiu civitatem Parisiensem tentaverant, ea tandem Perrineti Leclerc famosa proditione potiti sunt. Quicquid in altera parte nomine, virtute aut divitiis eminebat trucidatum est : ea tempestate occidit et ipse Joannes de Monsterolio, cujus caedes etsi innumeris civium funeribus obscurata est, publicam calamitatem non modice auxisse mihi videtur (1).

(1) De ejus nece häec monumenta habemus : 1° Annotationem in codice Vaticano : *Anno millesimo CCCC° XVIII° Parisius occisus est a Burgundionibus.* 2° Annotationem aliam in codice Parisiensi : *Obiit Parisius mense junii MCCCCXVIII, eo scilicet tempore quo gentes ducis Burgundie intraverunt urbem Parisiensem.* 3° Haec verba in rationibus domorum ab Anglis in urbe Parisiensi confiscatarum : *Hostel qui fut a maistre Jehan de Monstrereul (sic), occis à Paris, sis en la rue du Grand-Chantier qui va au Temple, tenant d'une part à Jean Spifame et d'autre à maistre Jean Rapiout, aboutissant par derrière à la cousture du Temple* (Sauval, *Antiquités de Paris*, III, 303).

CAPUT SECUNDUM.

JOANNIS DE MONSTEROLIO OPERA.

Joannis de Monsterolio opera sive edita sive in codicibus manuscriptis recondita nemo adhuc ad unguem enumeravit. Haec ergo cura nobis suscipienda est, ut omnia quae scripsit breviter recenseamus; quam recensionem, etsi quibusdam arida jejunaque videri potest, ut pote maxime necessariam praetermittere noluimus. Scripsit Joannes ea quae sequuntur.

1° Opusculum cui titulus est : *Perbreris epilogus gestorum Karoli Magni*. Breve summarium est in quo gesta Caroli Magni cum vera tum fabulosa commemorantur judicio et scientia parum certis. Ricardus de Sancto Victore et *Engedius* quidam citantur auctores. Sub finem Caroli Magni et Octaviani Augusti comparatio instituitur (1).

2° *De Gestis et factis memorabilibus Francorum.*

(1) Opusculum ineditum est, in cod. Paris. 13062 et 18337 descriptum, necnon inter epistulas Joannis de Monsterolio in cod. Vatic. reg. 332, f. 13 admissum.

Brevis est compilatio rerum ex auctoribus Medii Aevi desumptarum. In prima libelli fronte haec epistula praeponitur ad Joannem Gersonem, cancellarium Parisiensis ecclesiae :

Suas paucarum noctium vigilias en, pater optime, discipulus tuus is, cui nomen est Johannes et Insule titulus prepositi, paternitati tue mittit, ut per cancellarie tue submissionem, priusquam canum dentibus quos prospicit jam prodire lacerentur, hujusmodi vigiliis detur non tàm exiles et jejunas patere carptoribus de quibus Cicero ait : « adest enim fere nemo qui non acutius atque acrius vicia judicet quam recta videat ; ita quicquid est in quo offenditur is etiam illa que laudanda sunt obruit. » Qui, licet antequam Tullii premissam legissem sentenciam presentiebam, quippe crudum indigestumque, hunc laborem reprehensionibus minime cariturum, malui tamen irrisus exercitatione quidquam addiscere quam nichil discendo nequaquam irrideri. An stulte aut secus actum sit dijudica. Vale et jube otius parituro (1).

Dedicatur opusculum *regali ex progenie cetereque nobili milicie gallicane*, et epistulae formam habet. Sub finem satis longa introducitur prosopopoeia coronae gallicae vocem extollentis et principes militesque ad se defendendam exhortantis. Passim et confuse laudantur auctores Justinus, Cicero, Chronica sancti Dionysii, Eginaldus (*sic*), Sallustius, Orosius et Julius Caesar. De aetate suae propiore, ubi non ex libris sed e recenti memoria loquendum erat, nihil ferme dicit Joannes. « Ceterum quia historie Philippi de Vallesio necnon Johannis et Caroli regum Francie novissimorum, quibus Christus indulgeat, sunt recentes contigeruntque prope

(1) Cod., f° 157a.

nos, tacere censuimus. » De Carolo tamen quinto haec luculentissima, ut mihi videtur, verba dignaque ut publicentur addit : « Cumque verum dicendo, precipue priorum duum regum in diebus, a Gallis adversus Anglos male pugnatum sit, attamen Karolus genitor Karoli impresenciarum regnantis, instar Quinti Fabii *cunctando restituit rem,* si non dixero ampliavit (1). »

3° *Libelli adversus Anglos.* De Joannis de Monsterolio libellis adversus Anglos saeculo superiore duo eruditissimi viri abbates Sallier et Lebeuf disseruerunt, sed erroribus ita veritati admixtis ut nobis quasi de illibato argumento disputare necesse videatur. Duo adversus Anglos exstant libelli quibus Joannis de Monsterolio nomen manifesto praeponitur : gallica lingua alter, alter latina scriptus est. De uno quoque singillatim, tum de ambobus inter se comparatis dicemus, tum denique tertium quendam libellum, gallica lingua scriptum, Joanni nostro adscribi debere ostendemus, etsi in eo auctoris nomen praetermissum est.

A. — *Libellus latine scriptus.*

Dedicatur episcopo Tornacensi (2) his verbis :

Sicut scire de maximis modicum plus est quam de minimis pluri-

(1) Opusculum in cod. Florent. Riccard. 443 et Paris. 13062 continetur ; editum est cum in *A. C.*, n° XXII, tum a Joanne Lamio in *Deliciae eruditorum*, III, 17.

(2) Joannes *de Thoisy* episcopus Tornacensis fuit ab anno MCDXI ad MCDXXXIII.

mum, sic et loqui. Ea propter, reverende pater ac domine, domine J. Dei gracia Tornacensis presul dignissime, altitudine materie hujus tractatuli vestro cepti interventu pensata, decrevit is, cui nomen est Johannes et Insule titulus prepositi, vestro examini supponere, ut qui causa constructionis fuistis, ita peritia vestra imperfectum suppleat, quo tutius exeat in publicum (1).

Tum auctor mentem suam hoc modo significat :

Veritatis presens testimonium lecturis vel audituris, salutem in eo qui veritas ipsa est Jhesu Christo. Ignoracio factorum et juris sepenumero res ita pervertit et confundit ut vera pro falsis, falsa pro veris apud multos habeantur. Hinc factum est ut ex quodam ampliori tractatu alio in vulgari, continente materiam atque causam seu occasionem guerre seu dissensionis bellice regum ac regnorum Francie et Anglie ab octuaginta vel eo circa annis cepte, hec pauca excerperentur et elicerentur in latino, quatinus alienigenis et exteris qui sermonis gallici sunt ignari brevi sub compendio materia hujusmodi nota esset et alii a lectione processuum, gestorum ac scripturarum plurimarum releventur.

Ea verba pro titulo in fronte libelli leguntur :

In hoc parvo tractatu continentur occasiones seu colores quibus rex quondam Eduardus Anglie pretendebat habere jus ad coronam Francie ac responsiones super illis cum ostentione injusticie Anglicorum tam super principali quam super accessorio guerre ac bellorum exinde obortorum.

Quindecim capitibus constat, quorum summa haec est :

(1) E codice 18337.

I. Et primo monstratur quomodo nec rex quondam Eduardus Anglie nec sui successores unquam jus ad coronam Francie habuerunt; et simul quomodo regno Francie successit rex Philippus qui fuerat comes Valesii tanquam propinquior heres masculus corone Francie e masculo in masculum a sancto rege Ludovico et suis progenitoribus per rectam lineam descendens.

II. Item forma homagiorum ligiorum regi Francie per regem Anglie prestitorum titulo et ad causam pro tunc ducatus Aquitanie, necnon comitatus de Pontivo et de Monsterolio.

III. Item quomodo idem rex Eduardus forefecit, confiscavit et commisit ducatum Aquitanie et comitatum de Pontivo et de Monsterolio.

IV. Item quomodo Anglici non observaverunt nec voluerunt implere tractatum Calesii.

V. Item quomodo ex eo quod Anglici via facti multos excessus et maleficia eommittendo annitebantur tenere seu occupare ducatum Aquitanie et comitatum de Pontivo et de Monsterolio absque recognitione superioritatis corone Francie, et ob alias multas causas rex Karolus, V^us^ de hoc nomine, manu forti viaque facti executiva justicie fecit hujusmodi terras et dominia ad manum suam reduci ac reponi.

VI. Item quomodo Anglici tenentur ad restitutionem terrarum ac pecuniarum eis traditarum occasione predicti tractatus Calesii.

VII. Item quando et quomodo Anglici ducatum Aquitanie primitus habuerunt et de quammultis ducibus quondam per reges Francie suis demeritis ab eodem ducatu privatis et ejectis.

VIII. Item quomodo ducatus hujusmodi non est reddendus aut tradendus ipsis Anglicis quacumque occasione sive causa.

IX. Item quomodo rex Francie nunquam renonciavit superioritati terrarum occasione dicti tractatus Anglicis traditarum.

X. Item cujus inductione, si non dixerimus seductione, rex Eduardus hanc querelam primitus intentavit.

XI. Item quare leges et decretales in hac materia omittuntur allegari, et de injusto titulo ad coronam Anglie illius qui ibidem pronunc regnat.

XII. Item quomodo Anglici colorant petitiones quas faciunt pro presenti super principali materie hic deducte, et responsiones Francorum ad petita.

XIII. Item certe instantie seu interrogationes Francorum in hac materia ac responsiones seu evasiones Anglorum super quatuor principalioribus punctis ejusdem presentis materie.

XIV. Et demum conclusio seu illatio ex premissis.

XV. Item quomodo Anglici confiscaverunt ac perdiderunt antiquitus ducatum Normannie aliasque terras in regno Francie.

Quo denique anno libellum scripserit Joannes de Monsterolio, qui annus est MCDXV, ipse in capite XIV° indicat his verbis : *usque ad Karolum sextum hujus nominis hoc anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo decimo quinto, in regni vero sui octavo lustro, Dei omnipotentia imperantem super Francos* (1).

B. — *Libellus gallice scriptus.*

Dedicatur Joanni, Delphino Viennensi, Caroli VI filio, satis longa epistola quam hic integram habes :

A tres noble prince monseigneur le daulphin de Viennoys ung de vos petis et humbles serviteurs J. de Monstereul prevost de Lysle.

Tres noble prince, il est trouvé par hystoires anciennes comment Alexandre en l'aage de vingt ans conquist jadis tout l'Orient, et Hanibal a neuf ans par le commandement de son pere jura qu'il mourroit en la paine ou il destruyroit les Romains, qui les en mist par plusieurs foys en tres grant advanture; Scipion l'Affrican a vingt et deux ans ou environ alla es Espaignes et les conquist, que nul autre n'en osoit prendre la charge de cappitaine pour doubte d'ung nommé Viriatus qui y avoit desconfit n'avoit gueres les Rommains en trois ou quatre batailles; Octavien le grant empereur a dix huyt ans gouvernoit tout le senat de Romme; et le roy Philippe Dieudonné,

(1) Libellus in cod. Paris. 10920, 10921 et 18337 continetur.

ayeul du roy Saint Loys, n'avoit que quatorze ans quant son pere qui estoit vieil et maladif luy bailla la charge de tout son royaulme avecques saiges conseilliers et bons officiers qui preposoient le bien commun au leur propre ; en quoy il se porta et gouverna tellement qu'il conquist sur les Angloys la duché de Normandie, Anjou, Le Maine, et Touraine et la plus grande partie de toute Guyenne, adjousta neuf contez à la couronne de France, fist paver et fermer la bonne ville de Paris et le boys de Vincennes et mist sus maintes autres choses de bonne police regardans le bien de la chose publique, que pour cause de briefté, se laissent icy a mettre ; desconfit aussi au pont a Bovines Othon l'empereur a toute sa puissance, et y fut prins le conte Ferrant de Flandres et autres jusques a trente bannieres, lesquelles choses vous doyvent bien eslever le cueur et mouvoir a vertu et a vaillance, especialement de considerer l'estat ou est a present ce royaulme et y pourveoir comme celluy a qui il appartient devant tous autres apres le roy. Si prie a Dieu qu'il vous en doint grace tant que et si avant que ce soit au bien, honneur et prouffit du roy vostre bon pere, de vous et de tout le royaume, et a la confusion des anciens et mortelz ennemis d'icelluy qui si longuement et injustement y ont fait guerre et font encores a tort et sans cause comme plus a plain il est monstré et declairé au traictié cy apres ensuivant.

Lequel vous plaise a prendre en gré, car plus volentiers vous donnasse plus chiere et précieuse chose, si je l'eusse et sceusse qu'elle vous venist a plaisance. Et comme les Anglois ayent livres les plus beaulx et les notables qu'ilz puent faire de ce qu'ilz demandent en France, lesquelz ilz portent communement avecques eulx quant ils doyvent assembler avec les François pour traicter et sçevent par especial les grans seigneurs tout ce qu'ilz cuydent qui face pour eulx, semble que veue la grandeur de ceste matiere qui est celle du monde qui plus touche le roy, vous et tout le royaume de France, vous la devez savoir pour en parler en lieu et en temps et avoir a cueur pour y pourveoir sur toutes choses, etc. (*sic*).

Haec pro titulo in fronte leguntur :

Cy est contenu l'occasion ou couleur par laquelle feu le roy Edouart

d'Angleterre se disoit avoir droit à la couronne de France avecques les responses sur ce et l'injustice des Anglois declairee tant sur le principal comme sur l'accessoire de la guerre qui en est ensuïe.

Exordium ita se habet, quod hic referendum censuimus, ut cum latini libelli principio comparari posset :

A tous ceulx qui ce present tesmoignaige de verité verront et orront salut en cellui qui est mesme verité nostre saulveur Jesu Christ. Ignorance des faitz et de droit pervertit souventes foys et confond tellement les choses et besoignes mondaines que maintes gens tiennent et reputent le faulx pour vray et le vray pour faulx dont trop de inconveniens s'en ensuyvent. Pource est-il que en nous rapportan a ung autre traicte auquel est plus a plain la matiere et occasion de la guerre dentre les roys et les royaulmes de France et d'Angleterre puis IIII. XX. ans ou environ en mettant tout ce que les Angloys ont sceu et voulu dire et aleguer pour leur partie ou principal et en l'acessoire de ladicte guerre tant sur le contenu de la loy ancienne du royaulme de France que femme ne sucede point au droit de la couronne de France comme autrement par maniere d'abregié pour relever le liseur de tant d'escriptures veoir et chiercher, sera icy monstré evidamment par l'arbre de la genealogie et lignee du roy Saynt Loys et ses successeurs et par une raison entre assez d'autres que le roy Edouart d'Angleterre ne ses successeurs n'eurent oncques droit a la couronne de France.

Tredecim capitibus constat libellus, quorum quatuor priorum summam referre exempli gratia sufficiet.

I. Et premierement y est monstré comment le roy Edouart d'Angleterre ne ses successeurs n'eurent oncques droit à la couronne de France et le royaume de France vint au roy Philippe qui avoit esté et estoit conte de Vallois comme au plns prouchain hoir masle de la couronne de France descendant de masle en masle et droicte ligne du roy Saint Louis et de ses devanciers.

II. Comment le roy Edouart feist hommage lige audit roy Philippe en l'appellant roy de France et son seigneur lige et lui promist foy et loyauté porter.

III. Comment icelluy roy Edouart forfist et confisca la duché de Guyenne et la conté de Ponthieu et de Monstereul.

IV. Comment les Anglois ne tindrent point le traictié de Calais.

Quo denique anno libellus iste scriptus fuerit ex hoc loco capitis IX perspicimus : *duquel roy Charles fut fils le roy Charles, sixiesme de ce mesme nom, par la grace de Dieu à present regnant en France ou XXXVI*e *an de son regne et de la dicte incarnacion nostre seigneur Jhesu Christ mil CCCC et XVI, le XXIV*e *jour de septembre* (1).

Verba haec in libello latino jam supra relata attentius considerare operae pretium est : *hinc factum est ut ex quodam ampliori tractatu alio in vulgari... hec pauca excerperentur*. Haud aliter in capitulo XI° Joannes noster ait : *quam ob causam pretermisimus ex illo majori tractatu in vulgari hujus materie de quo in nostra prefatione loquutum est hic transferre ea que ibidem extensius disseruntur*. Ea doctissimum abbatem Lebeuf non fugerant ; itaque libellum gallicum ante latinum scriptum esse putavit et hujus quasi archetypum exstitisse, et, dum hoc affirmat, nihil aliud quam in verba Joannis de Monsterolio jurare videtur. Hoc autem eum prorsus fugit, latinum libellum anno MCDXV, gallicum autem anno MCDXVI in lucem datos fuisse. Quod cum ita se habeat, Joannesque noster in gallico non aliter

(1) Libellus continetur in codice unico Vat., Reg. 894, editus est saeculo sexto decimo incipiente in libro cui titulus est : *La Cronique Martiniane*.

quam in latino opere de quodam ampliore et vetustiore tractatu loquatur (1), ad conclusionem hanc necessario reducimur, tertium quendam libellum in gallica lingua scriptum, nostris aetate superiorem et ex quo ipsi nostri manaverint, exstitisse. De tertio quodam libello, qui in codice parisiensi 21381 absque auctoris nomine jacet, et quem optime hic quadrare arbitror nunc dicendum est. Eum littera C distinguimus.

C. — *Libellus gallice scriptus alter.*

Haec in fronte libelli cum pro titulo tum pro capitum summa leguntur :

En ce petit traictié est contenu et monstré :

I. Comment le roy Edouart d'Angleterre n'ot oncques droit à la couronne de France;

II. Comment icellui Edouart fist hommage lige au roy de France de la duchié de Guienne et de la conté de Pontieu et de Monstereul;

III. Comment il n'a pas plus de II^{c} L ans ou environ que les Angloiz n'avoient onques riens eu en Guienne;

IV. Comment il n'a que environ cent ans que le roy Philippe le Bel possedoit plainement et entierement la duchié de Guienne sans moien;

V. Comment ilz confisquerent et renoncerent a tel droit qu'ilz avoient onques peu avoir en la duchié de Normandie, Anjou, Le Maine et Touraine moult long temps a;

VI. Comment les Angloiz n'acomplirent ne tindrent le traictié de Calaiz;

VII. Comment le roy de France ne renonça onques a la souverai-

(1) *Pour ce est-il que en nous rapportant a ung autre traicté auquel est plus a plain la matiere et occasion de la guerre d'entre les roys et royaumes de France et d'Angleterre.*

neté des terres qu'il bailla ou fist baillier audit roy d'Angleterre par le traictié de Calaiz;

VIII. Comment pour quelconque cause ou occasion le roy ne doit rendre aux Angloiz la duchié de Guienne ne les autres terres qu'ilz ont par tant de foiz et par tant de crimes confisquees en ce royaume, car, a voir dire, ilz n'en y eurent onques portion quelconque, feust par mariage ou autrement que finablement ilz n'en feissent au roy et au royaume guerre et moleste, combien que en la fin il leur en soit tousjours mal prins.

IX. Item demandes et responses sur le debat d'entres les roys et les royaumes de France et d'Angleterre.

X. Et finablement une question et response de deux gentilz hommes qui avec leurs terres furent bailliez par le traictié de Calaiz, lequel fist mieulx, ou celui qui, puis qu'il vit que guerre recommença, le plus tost qu'il pot bonnement vint servir son seigneur souverain le roy de France, ou celui qui demoura tousjours avec le roy d'Angleterre pour le temps seigneur moien.

XI. Et puis en la parfin, conclusion que riens ne soit condampné sans estre oy, on raison rendre de son dit.

Libellus nomine quorumdam ex universitate Parisiensis scribitur, vel saltem scribi fingitur, ut exordio patet :

A tous ceulx qui ce present tesmoignage de verité verront ou orront, aucuns de l'université de Paris salut en Jhesu Christ. Pour monstrer en abregié a ceulx qui ne scevent le fait et proces de la querelle que les roys d'Angleterre ont maintenu contre les roys de France puis quatre vins ans ou environ et le grant tort et injustice d'iceux Angloiz en ceste matiere, il est assavoir que le roy Philippe le Bel ot trois filz, etc.

Arcte cum A congruit C, ita ut multa in illo ad verbum ex hoc translata videantur; nonnulla tamen in eo sunt quae desunt in illo et is merito amplior dici po-

test; pauca denique discordant et eo quidem modo ut A correxisse videatur quae in C falso dicta fuerint. Conferendi sunt exempli gratia de lege salica loci :

C	A
laquelle loy salique contient en latin ceste propre forme et parole : *mulier vero in regno nullam habeat portionem.*	que quidem lex salica nominata determinative hoc modo concludit : *nulla portio hereditatis mulieri veniat sed ad virilem sexum tota terre hereditas perveniat.*

Eadem ferme similitudine cum B gallico libello C conjungitur; multa loca eadem sunt, ne littera quidem mutata, in utroque codice, nonnulla tamen discordant in quibus B cum A adversus C plerumque stat. Hoc praesertim de lege salica manifestum est. In B sic se habet locus :

Laquelle loy salique contient en latin ceste propre forme de paroles : *nulla portio hereditatis nulieri veniat, sed ad virilem sexum tota terre hereditas perveniat.*

Ad determinandum tempus quo scriptus sit C libellus, notanda sunt quae in eo de ducatu Aquitaniae dicuntur : *combien que le roy, la ou il verroit que ce feust le bien et transquillité du pays, leur puet baillier duc, comme derrenierement il a fait de son filz ainsné.* De Ludovico, Caroli VI filio, agitur, qui anno MCD dux

Aquitaniae creatus est et anno MCDXV mense decembri obiit. Jam supra vidimus libellum A non ante mensem septembrem anni MCDXV scribi potuisse, libellum autem B mense septembri anni MCDXVI scriptum esse : jure igitur concludemus C libellum A et B aetate superiorem esse et eorum fuisse archetypum.

Superest ut libellum C Joannis de Monsterolio opus esse demonstremus, cum ipse de hac re non expresse loqui videatur. Jam magni ponderis est intima libelli C in multis locis cum B conjunctio, quae ea est ut nequaquam arbitrandum sit Joannem nostrum alienum opus hoc modo exscribere vel voluisse vel potuisse. Tum ea quae in C tantummodo continentur cum Joannis moribus et ingenio apte conveniunt et, ut cum ipso jocose loquar, Joannitatem miro modo redolent (1). Petrarca in eo laudatur : *sur quoy dit Petrarch :* sepe fortunam retentare demencie est, *c'est-a-dire que souvent tenter fortune est demence* (2), quod frequenter in epistolis nostri fit. Laudatur etiam in eo *maistre Jehan Boor, un grant historien des Angloiz*, et in epistola nostri ad Clamengium haec reperiuntur de Carolo Magno : *hoc ego legi propriis in cronicis Britannorum editis a magistro Johanne Boor, historiografo Anglorum perinsigni* (3). Quid multa? Tres libellos adversus Anglos Joannem nostrum conscripsisse neminem spero, ut res se habent, negaturum.

Quid sibi his libris conscribendis Joannes de Monste-

(1) Nunc vero insonti ac nuda mea Johannitate loquar (Cod., f° 77 r°).
(2) F° 12 r°.
(3) Cod. Vat., reg. 332, f° 54 r° (epistola inedita).

rolio proposuerit, facile ex iis quae dicta sunt intelligitur. Disquisitum est utrum veridicus historicus necne fuerit, et eum historiae fidem servasse inventum est (1). Sed orator potius quam historicus esse voluit. Anglorum superbiam deprimere, Gallorum animos erigere conatus est, et fatendum est eum, etsi multa violentius quam eloquentius dixit, veram eloquentiam uno saltem loco attigisse, cum eorum qui ducatum Aquitaniae Anglis tradendum censebant ignaviam sic impugnavit :

CB	A
Elle a trop chier cousté la duché de Guienne de vie d'ommes et de finance, oultre le mesfault et contempt du vassal à son seigneur, pour ainsi la rendre, restituer et donner !	Sanguinis siquidem fluore nimio ac impensa rerum regni Francie nimis multa coemptus est Aquitanie ducatus, ut vassallo totiens et tantis criminibus obnoxio reddatur et donetur !

Felicem quidem Joannem, qui opportune perierit, nam si paulo plus vixisset, non ducatum Aquitaniae tantum, sed totam Galliam, turpi icto Trecis foedere, Anglis permissam traditamque vidisset. Multo adhuc sanguine a Carolo VII Gallia redimi debuit ; neque ense semper sed calamo aliquando pugnatum est. Rege jubente, anno MCDXLV, Joannes Juvenalis, Laudunensis

(1) Ab abbate Sallier.

episcopus, opusculum composuit opusculis Joannis de Monsterolio argumento simillimum (1). Etsi in eo multa de suo posuit, uno saltem loco Joannem nostrum imitatus est, ut, instituta comparatione, facile perspici potest.

Joannes de Monsterolio.

Cod. Paris. lat. 18337, f° 12 v°.

Et quo ulterius de habitudine Aquitanice regionis ad reges et regnum Francie appareat, in antiquissimis ac probatissimis historiis reperitur regem Clodoveum primum regum Francie christianum sedem suam supreme majestatis tenuisse in Burdegalia, eandemque urbem cum adjacentibus universis Sigisberto et deinde Chilperico nepotibus regis Clodovei natisque natorum in partitione regni Francie subsequenter advenisse, ita ut generis longa post serie rex Dagobertus Heriberto sanguine pa-

Joannes Juvenalis.

Cod. Paris. Gall. 17512, f° 24 v°.

En tant qu'il touche la duchié de Guyenne, pour monstrer qu'elle appartient aux roys de France et que c'est leur propre demaine, est assavoir que le bon roy Clovys premier roy de France crestien tint la duchié de Guyenne et d'Acquitaine, et treuve l'en en aulcunes hystoires qu'il tenoit son siege a Bordeaulx. Et est bien grant chose que de la duchié de Guyenne, car selon ce que recitent aulcuns hystoriens elle tenoit la tierce partie du royaulme de France. Et depuis vint es mains de

(1) Vide *Jean Juvénal des Ursins*, thèse de l'abbé Péchenard, Paris, 1876.

terno suo fratri patriam a fluvio Ligeri ad montes usque Pireneos assignaverit ac dederit regisque titulo insigniverit, et quia ad plenum parere ipsi Heriberto quidam Vascones et Pictavi renuerunt, idem rex Dagobertus continuo omnes contradicentes ad omnimodam obedientiam reduxit et submisit, pro tunc corpus beati Hilarii ad cenobium sancti Dyonisii in Francia, ut aiunt, faciendo deportari.

Sigibert et de Chilperic qui estoyent nepveux en directe ligne du roy Clovys et tinrent la dicte duchié. Et depuis on trouve que le roy Dagobert bailla a Heribert son frere de pere la dicte duchié de Acquitaine, ce que les Poictevins et Gascons refuserent et ne povoit pas avoir plaine obeyssance, et pour ce le roy Dagobert y ala et les mist en la subjection dudit Heribert, et lors print Poictiers et fit aporter le corps saint Hilaire a Saint Denis en France.

Postea circa annum MCDLXIII, ab auctore ignoto scriptus est alius libellus de eadem materia, cum adjunctione tamen factorum recentiorum ; Joannem ab eo plane ignoratum esse non putandum est, etsi de eo nulla expresse mentio facta est (1).

Saeculo denique sexto decimo eminentissimus vir Pasquier, de lege salica sermonem faciens Joannis de Monsterolio nomen et libellos laudare non omisit (2).

(1) Vide de hoc libello abbatem Sallier.

(2) *Recherches de la France*, l. II (éd. 1640, p. 140).

4° *Epistulae latinae.*

Quas scripserat latinas epistulas ipse Joannes de Monsterolio colligendas et in volumen redigendas curavit. Privatarum duos libros edidit; publicas autem ne in corpus cogeret incerta causa videtur prohibitus fuisse.

I. *Privatarum volumen prius.*

Dedicatur Nicolao de Clamengiis hac praeposita epistula :

Sine quo nil peragit, nil agreditur, nilve cogitat quod ex eloquentia tamen prodeat aut luci reputet submittendum, ecce, Baiocarum cantor dignissime, ex magno parvum scriptionum familiarium suarum acervo fasciculum hunc tibi mandat tuus is cui nomen est Johannes et Insule titulus prepositi; publicas vero que regio nomine inscribuntur volumen seorsum aliud continebit. Oro igitur obsecroque ut priusquam morsibus quos conspicit jam prodire pateant invidorum et ne voracium corrodant canum dentes illas altissimo disertie torno tue sic polias, sic linias, sic emendes, modo examine sint capaces aut pre valetudine susceptibiles medicina, quatinus si ex actoris inscitia abjectionis repudio digne sint, tuo cujuspiam novicii lectionem saltim mereantur interventu. Cibus enim grossior quandoque velut pro fastidio sumitur, ut epule subtiliores magis sumantur delicate. « Sed magna petis, Johannes, expecto te dicturum, ac privilegii sigularis, ut a quo non Socrates ipse, non Plato, non Therentius, non Maro, non Cicero, non denique Jheronimus seu Paulus exempti sunt, quod viperinum detractorum sibilum vitare vis et os iniqua loquentium precavere! » Circa quod me justius reprehendes qui mearum in correctione nugarum graviloquium tuum cum stultiloquio meo misceri deposco, eloquutionem cum loquutione, inepta cum aptissimis, cum salsatissimis insulsissima, et, ut aiunt, equum ligari cupiens cum asino. Ast mecum accuratius pensato, frater ut salus michi carissime, jam sufficit, jam contentor, jam a te mecum optime actum erit, si minus pueriles ac non omnino indignissimas mansione notaveris epistolas forasque miseris penitus inutiles. Opusculo enim nostro non prodesse non potest tuo fuisse submissum prospectui per cribrumque tue circunspectionis transiisse. Vale.

Hac alia concluditur epistula ad Gontherum, ut suspicor, scripta :

Tametsi, vir insignis ac venuste, scedularum litturarumque mearum numerus amplior michi sese ingerat et cumulus ad transcribendum tediosus, postquam istarum aprime succurrit imperfectio, scriptorem sistere jussi, donec tuum examen subierint, ac per tue limam selectionis transeuntes is cui devoventur, qui cum omnium supremo sacerdote Latium nunc discurrit, viderit. Vestrum quoque autoritatibus tum dabitur audentia ceteras forsitan coaddendi vel per has insolidum meam ignorantiam patere decernetis, aut de toto, ut potius reor, ni amor vos excecet, ignem ac cineres fieri vestra prudentia judicabit sicque pargameni attramentique plus vastandi vestro consilio relevabor et mea insipientia plus latebit, cui profecto jam per vices fuit animus et certe hac in hora est vehemens has et illas penitus abolendi, sed prohibet is in orbe cui minus debeo non parere. Hanc ergo accipies primam partem et ne michi mea inscitia ulterius oneri sit, reliquam consulas precor in publicum non venire. Satis enim superque satis est presenti portione ludibrio fore quamplurimis et ut meorum carptorum reprehensorumque qui prorsus uruntur invidia parcas vite. Vale.

Magni nobis sunt momenti haec verba : *is cui devoventur, qui cum omnium supremo sacerdote Latium nunc discurrit*, ut tempus cognoscamus quo volumen litterarum Joannes confecerit. Haec Clamengii cum supremo pontifice Latii, id est Italiae, peragratio anno MCDVII incidit, et eo anno Joannem prius litterarum volumen edidisse certum habemus. Litterae in eo usque ad CXC continentur, et in codice uno Paris. 13062 transcriptae sunt.

II. *Privatarum volumen alterum.*

Dedicatur cardinali Florentino hac praeposita epistula :

Inter summi cardinis patres electissimos ingenii altissimi abun-

dantissimiqne virtutum et, sicut predixit Virgilius, *unum Tritonia Pallas quem docuit*, domino meo cardinali de Florentia, ut vulgus loquitur, appellato suus filius perquam supplex et alumnus prepositus Insule salutem quam pater filio filiusque parenti relative sibi optant.

Ex volumine ampliori occupationum suarum in missivis familiaribus istam excerpsit portionem alumnus idem vester dedicandam vestre benignitati ac sapientie, que si repulse baculum non senserit plura in occulto usque adhuc jacentia palam faciet, nixus vestra correctione paterna, omnium quidem studiorum honestorum semper promotrice. Sin vero abjeceritis, id quod restat lucem imposterum non videbit. Per vos ergo unum, pater mi, ipsius vestri filii opuscula aut morientur aut vivent, quorum de vita jam michi spes oritur freto magnificentissimi vestri nominis adjectione et quod ex tot discipulis ejusdem paternitatis eruditissimis unus erit qui non sinet nomen ipsum quod pro reverendissimo et amantissimo habent positum frustra esse; quin potius ubi a calamo vestre dominationis emendationem non merentur hice labores, aget quo semper non hesitent saltim cujuspiam novitii aspectui esse, quas quidem exceptiones manus istas exire prepositus non censuit quousque per vestre doctissime cancellarie purgatorium transissent. Quod si venerandissimus michi pater atque splendidissimus dominus cardinalis Sancti Marci oculos solite benivolentie in reculas ipsas nostras deflexerit, michi a Comico dictum est in utramvis aurem otiose ut dormiam. Valete et parcite confidenti.

Volumen hoc XLIV tantum epistulas continet, quarum ultima eadem est atque ultima voluminis prioris. Eae insuper viginti jam in altero volumine comprehensa erant, quarum prima haec sunt verba : *Altitudinem. Circa ea. Debuisti. Est quod ad me. Etsi nichil. Ignoto. Jamque fere. Magnis te hactenus. Miraberis. Multotiens. Ne verearis. Non loquacitatis. Optime spei. Qui tam multa. Qui te ad scribendum. Requirit. Sine quo. Statueram. Temeritati. Verissimam.*

Quo anno volumen compositum fuerit quaedam epistula, cujus principium est *Quanquam noverim*, indicium dat. In ea legitur : *Insuper scivisti, novisti, vidisti, jam pene decem anni sunt elapsi, principem permaximum ac potentissimum hujus regni unicumque germanum fratrem regis qui a satellitibus villissimis parricidis numero XVI, sicut fertur, sine nature seu sensus acquisiti quavis dote, crudeliter necatum extitisse in vico publico urbis Parisiensis* (1). Haec scripta esse anno MCDXVII (cum dux Aurelianensis de quo agitur anno MCDVII necatus sit), manifestum est, neque ante illum annum volumen confici potuit. Anno igitur MCDXVII, sive primis mensibus anni MCDXVIII, volumen posterius privatarum epistularum Joannis de Monsterolio compositum est.

3° *Publicae et extra volumina privatae epistulae.*

Ut supra dixi, quod Joanni de Monsterolio jam ab anno MCDVII in votis erat, scilicet ut publicas epistulas a se scriptas in corpus cogeret, id, seu casu seu consilio, nunquam effectum esse videtur. Sex tamen publicae epistulae in codice 13062 quasi inconsulto transcriptae sunt, quarum tres Caroli VI, Francorum, tres Caroli II Navarrorum regum nomine inscribuntur. Septem eas comitantur privatae quae haud scio an dedita opera in voluminibus privatarum locum non obtinuerunt ; earum prima haec sunt verba : *Ad quem et a quo. Clarissime indolis. Intellexi. Magnificentie. Nisi pulsatus. Que modico. Ut qui.* Animadvertendum tamen opusculum *Ad*

(1) Cod., f° 155 r°.

quem et a quo non epistulam, sed orationem esse coram Joanne XXIII summo pontifice anno MCDXII habitam.

Ut de publicis taceamus, de privatarum epistularum argumentis pauca dicenda sunt. Ut longitudine dispares ita et argumentis dissimiles : haec paucis verbis constat, quam, exempli gratia, hic totam habes :

Litterarum tuarum pro responso, mentem meam gerenti crede vectori tanquam michi tuum non esse nequeunti, etsi in iram excandesceres intensius. Vale (1);

illa in modum libelli protenditur; de jocis tantum in alia, in alia de altissimis philosophiae quaestionibus agitur; nonnullae narrationes et descriptiones continent, sive Joannes iter suum in Germania narrat (2), sive Caroliloci coenobium describit (3); nunc in perfidum amicum, nunc in aulicos invehit Joannes, vocemque tollit et invectivas orationes proferre non epistulas scribere videtur. In multis de schismate totiusque Ecclesiae miserrimo statu, in paucioribus de rebus publicis et Galliae lamentabili calamitate disseritur. Hoc enim argumentum quantum fieri potest vitare conatur Joannes, neque cur ita agat causam reticet : *quia, ut mea semper fuit opinio, nostri supra omnia est officii pauca aut nulla scribere de seriis, eorum potissime que secreto proxima sunt vel attingunt taciturnitati quoquomodo* (4). Non aliter in alio loco ait : *inter potissimum istorum temporum angustias, de quibus scriberem, sed juxta*

(1) Cod., f° 88 r°.
(2) In *A. C.*, ep. n° LIII.
(3) *Ibid.*, n° XL.
(4) Ex ep. ad Gontherum inedita, cod. 13062, f° 57 r°.

Fulgentium, grande expetunt silentium (1). Attamen res eo perductae sunt ut vocem continere non potuerit, et diuturna taciturnitate repudiata in nefandam Burgundionum partem stomachum iramque duobus longissimis ad Clamengium epistulis erumpere ausus fuerit.

Hoc incommodi omnes privatae Joannis de Monsterolio epistulae habent, quod nunquam in earum fronte nomina eorum inscribuntur ad quos missae fuerunt. Longo studio et ea qua potuimus diligentia, ut nomina praetermissa supplerentur, elaboravimus. Quod si omne non tulimus punctum (neque hoc sperandum erat), hoc saltem effecimus ut nonnullis nomina restituerentur, et praecipuorum Joannis amicorum aut patronorum indicem satis locupletem conficeremus. Hunc indicem quamlibet imperfectum in publico hic proponere non dubitavi, ut ad eum perficiendum aliis materiam quodam modo subministrarem.

Alamanno Ademari, cardinali Florentino, dedicatur volumen posterius privatarum epistularum.

Alexandro papae V scribit Joannes ut ei de electione sua congratuletur, epistulam *Qui hactenus* (2) (anno 1409).

Amedeo cardinali de Salutiis dicto, scripserat Joannes epistulam cujus haec sunt prima verba : *Hortaris beneficentissime pater* (3); hanc tamen epistulam inter cete-

(1) Ex ep. inedita, *ibidem*, f° 3 v°.

(2) *A. C.*, n° XXXI. Non recte dictum est ibidem epistulam *Solent* (n° XXXII) et orationem *Ad quem* (n° XXXIII) ad eundem spectare pontificem.

(3) « Ecce ad te mitto quod dudum domino Saluciarum cardinali respon-

ras non reperimus. Haud scio an de epistula *Requirit humanitas* (1) mutato principio agatur.

Antonio cuidam, ut videtur, Italo bonisque litteris imbuto scriptae sunt epistulae *Fit apud me* (2) et *Scripturus* (3).

Antonio de Chalanco, cardinali Tarentasiensi dicto : epistulae *Si gaudium est* (4), *Qui obsequio* (5) certe, forsan *Ad curiam* (6).

Benedicto papae XIII : epistula *Exultat* (7), in qua ei Joannes de electione congratulatur (1394), necnon *Altitudinem* (8) (1404).

Colutio Salutato, Florentino cancellario illustri : *Non clam me* (9).

Galeotto de Petramala cardinali, Clamengii patrono : *Non dici potest* (10) et *Venit ad me* (11).

Galthero cuidam Lutetiae degenti : *Furiis accensus* (12).

dendum censueram dum me comiter admodum in ultimo meo abitu vestra e curia beneficentiam apostolicam expectare commonebat, ad quam, ut sincere dicebat, omnium sacerdotum potentissimus non tenuiter afficiebatur, quarum exemplum litterarum hoc est : *Hortaris beneficentissime pater*, etc. » Cod., 13062, f° 128 r°.

(1) *Ampl. Collect.*, n° VI.

(2) Inedita ; vide eam in *Append.*, II, 1.

(3) Inedita, cod. 13062, f° 57 v°.

(4) *Ampl. Collect.*, n° IX.

(5) Inedita, cod. 13062, f° 51 r°.

(6) Inedita, cod. 13062, f° 52 r°.

(7) *A. C.*, n° I.

(8) *Ibid.*, n° XIX.

(9) Vide eam in *App.*, II, 5.

(10) Inedita, cod., f° 63 r°.

(11) Inedita, *ibid.*, f° 104 v°.

(12) Inedita, *ibid.*, f° 77 v°.

Gonthero Colli : *Cuidam gregis nostri* (1), *De intimatione* (2), *Jamque fere* (3), *Quantumcunque* (4), *Scis me* (5), *Scribesne* (6), *Suffarcinatus* (7), *Te qui videre* (8).

Guillelmo filiastro, decano Remensi : *Meditabar* (9) et *Cui tam multa* (10).

Jacobo cuidam (quem alium atque Jacobum de Noviano fuisse puto, eo quod uxorem habet is cui scribit Joannes) : *Animus fuit* (11), *Multe prudentie* (12), *Reductas* (13).

Jacobo magno (gallice Legrant), ex ordine Fratrum eremitarum : *Debuisti* (14), *Magnis te hactenus* (15), *Sic est preceptor* (16).

Joanni papae XXIII : epistula *Solent* (17) et oratio *Ad quem* (18).

(1) Inedita, *ibid.*, f° 79 r°.
(2) Inedita, *ibid.*, f° 69 r°.
(3) *A. C.*, n° XLI.
(4) Inedita, cod. 13062, f° 101 v°.
(5) *A. C.*, n° LVI.
(6) Inedita, cod., f° 57 r°.
(7) Inedita, *ibid.*, f° 82 r°.
(8) Inedita, *ibid.*, f° 54 v°.
(9) Inedita, cod., f° 131 v°.
(10) Inedita, *ibid.*, f° 129 v°.
(11) *A. C*, n° VII.
(12) Inedita, cod. 13062, f° 34 r°.
(13) Inedita, *ibid.*, f° 53 r°.
(14) Inedita, cod., f° 133 r° et Vat., reg. 332, f° 32 r°.
(15) Inedita, *ibid.*, f° 134 v° et f° 32 v°.
(16) Inedita, cod., f° 135 r°.
(17) *A. C.*, n° XXXII.
(18) *Ibid.*, n° XXXIII.

Joanni Gersoni : *Affectum qualemcunque* (1), *Mee an fuerit* (2), *Nunc demum* (3), *Suas paucarum* (4) et *Vestre sollicitudinis* (5).

Joanni Mureto, epistulae procul dubio *Gratularis* (6), *Nunquamne igitur* (7) et, ut opinor, *Nichil profecto* (8).

Laurentio de Primofato : procul dubio *Is profecto* (9), *Quem pleraque* (10), *Semperne tuum* (11), *Si Thersitem tuum* (12).

Ludovico, Caroli VI filio, Aquitaniae duci, ut saltem opinor, epistula *Intellexi* (13).

Martino Salvae, cardinali Pampilonensi, epistula *Ignoto*, quae temere Petro de Alliaco scripta esse creditur ab iis qui illam ediderunt (14).

Nicolao de Clamengiis : *A pridem* (15), *Cur tantopere* (16), *Est quod ad me* (17), *Etsi nichil prosit* (18),

(1) Inedita, cod., f° 30 v°
(2) Inedita, *ibid.*, f° 86 v°.
(3) Inedita; vide eam in *App.*, II, 7.
(4) Vide supra, p. 15.
(5) Inedita, cod., f° 109 r°.
(6) Inedita, cod., f° 95 r°.
(7) Inedita, *ibid.*, f° 61 v°.
(8) *A. C.*, n° LX.
(9) *Ibid.*, n° XLVII.
(10) Inedita, cod., f° 104 v°.
(11) Inedita, *ibid.*, f° 60 r°.
(12) Inedita, *ibid.*, f° 64 r°.
(13) *A. C.*, n° XXIII.
(14) *Ibid.*, n° XXXVII
(15) Inedita, cod. 13062, f° 50 r°.
(16) *A. C.*, n° XVIII.
(17) *Ibid.*, n° XXXIV.
(18) *Ibid.*, n° XXXV.

Gonthero ut audieram (1), *Habes quod tota* (2), *Haud mora* (3), *Heu dolor* (4), *Impulit me* (5), *Mirabilem* (6), *Multis graviter* (7), *More hominum* (8), *Ne frustra* (9), *Ni succurras* (10), *Non scribes* (11), *Nunc tandem* (12), *Pluris sunt* (13), *Portentuosum* (14), *Quanquam noverim* (15), *Quis tecum* (16), *Quod a reverendissimo* (17), *Sine quo* (18), *Sinere hinc* (19), *Statueram* (20), *Tam varie* (21), *Tuli nunc usque* (22), *Ut animo* (23), *Verissimam* (24), et *Versanti michi* (25).

(1) Inedita, cod. 13062, f° 55 r°.
(2) *A. C.*, n° XVII.
(3) *Ibid.*, n° XIII.
(4) *Ibid.*, n° L.
(5) Inedita, cod., f° 101 v°.
(6) *A. C.*, n° LVIII.
(7) Inedita, cod., f° 16 r°.
(8) Inedita, cod., f° 98 v°.
(9) Inedita, *ibid.*, f° 16 v°.
(10) *A. C.*, n° XV.
(11) *Ibid.*, n° 61.
(12) Inedita, cod., f° 92 r°.
(13) Inedita, cod., f° 103 r°.
(14) *A. C.*, n° LIX.
(15) *Ibid.*, n° LXX.
(16) *Ibid.*, n° LXII.
(17) *Ibid.*, n° XII.
(18) Vide supra, p. 30.
(19) Inedita, cod., f° 16 r°.
(20) *A. C.*, n° XI.
(21) *Ibid.*, n° XVI.
(22) Inedita, cod., f° 152 v°.
(23) Inedita, cod., f° 15 v°.
(24) *A. C.*, n° XXXVI.
(25) Inedita, cod., f° 32 r°.

Petro de Alliaco : *Ne nichil rescripsisse* (1), *Pluribus ad vos* (2), *Si gaudendum* (3).

Petro Manhac, simul et Gonthero : *Jamque fere* (4).

Petro Rabatio, ex episcopo Sancti Pontii cardinali creato ; *Quanquam ad te* (5).

Sigismundo, Romanorum regi : *Quatinus vestre Majestati* (6).

5° *Gallicae epistulae.*

Duae epistulae gallica lingua scriptae absque auctoris nomine in codice Vat. Reg. 894, post Joannis adversus Anglos libellum leguntur. Alterius principium hoc est :

Tres chier et honnoré seigneur, saichant certainement que sur toutes choses de ce monde vous desirez le bien du roy et du royaulme comme nous y sommes tous tenuz, m'est venu en voulenté de vous escrire...

Alterius vero :

A ce que tu m'as escript, tres chier sire et frere, que les Anglois dient que Dieu leur a bien monstré le bon droit que ilz dient avoir a la couronne de France par les batailles qu'ils ont eu pour eulz contre les François...

In illa calamitatem gallicam lamentatur auctor, in hac in superbiam Anglorum invehit, et quam frequen-

(1) Inedita, cod., f° 82 v°.
(2) Inedita, cod., f° 22 r°.
(3) *A. C.*, n° XIV.
(4) *Ibid.*, n° XLI.
(5) *Ibid.*, n° XLIX.
(6) *Ibid.*, n° LXXI, ubi epistula Carolo VI scripta esse perperam dicitur.

ter prioribus saeculis ipsi Angli in Gallia adversa passi fuerint commemorat. Jam suspicatus est doctissimus abbas Lebeuf ambas epistolas nullum alium auctorem atque Joannem de Monsterolio habere. Cum eo utique non esse non possum, idque ante alia me movet quod in altera epistularum de magistro Joanne Boor jam supra laudato mentio invenitur.

6° *Deperdita opuscula.*

I. *Proverbia.*

De iis nihil aliud scire potui quam quod ipse Joannes ait in quadam epistula, ad Joannem Gersonem, ut opinor, scripta, quam hic inserere operae pretium est.

Vestre sollicitudinis curas vehementes, reverendissime pater, per alternationem ut nuge Johannis allevient, hanc ecce proverbiorum quantitatem, prout inscitie occurrit contexere, vestri altissimi judicii examini submittere fuit consilium, quatinus prudentie vestre scalpro recisam comptamque, si ejus cui dedicatur res permissione in publicum veniat, morsuras invidorum quos cerno jam prodire contempnat et michi omni pro latratu satis sit dicere : non prevalebit adversus me os loquentis iniqua, precipue cum vestre correctionis limam senserint nuge nostre transierintque per cancellariam vestre dominationis emendata. Valete et filii sui studio insolito nec digesto grandia sua inter agenda tantisper paternitas vestra vacet.

II. *De fabula poetica Rosae opusculum gallicum.*

Hoc opusculum in nullo codice reperire potui, quod Joannem nostrum composuisse et ipsius et Christinae Pisanae testimoniis hic allatis constat.

In epistula quadam (1) haec ait Joannes :

(1) Inedita est; vide cod., f° 67 v°.

Cum, ut dant sese res, nichil ut melius scribam occurrat, pater mi perquam reverendissime, ne esse velim rumorum dictator (aut quia id supra et contra officium nostrum est), ut sic dicam, novellicans, en Gonthero nuper me hortante, quin potius impellente a me Rose videri romantium cucurri legique quam avidissime et actoris ingenium, quam tum conicere datum est impetusque tulit, gallica scriptione, prout in annexo presentibus vestra reverendissima videbit paternitas, designavi. Vestrum ergo fuerit, domine mi, an nimium aut minus debito seu cum temperamento actorem laudaverim decernere.

Accipe nunc quae de hac re nobis traduntur in codicibus Christinae Pisanae opera continentibus (1) :

« Comme ja pieça parolles feussent meues entre monseigneur le prevost de Lisle maistre Jehan Johannes et Cristine de Pisan touchans traictiez et livres de pluseurs matieres, esquelles dictes parolles ledit prevost ramenteut le roman de la Rose en lui attribuant tres grant et singuliere louange et grant dignité, de laquelle chose en repliquant et assignant pluseurs raisons ladicte Cristine dist que, sauve sa reverence, si grant louange ne lui appartenoit aulcunement selon son advis ;

» Item apres pluseurs jours ledit prevost envoya a ladicte Cristine la copie d'une epiltre laquelle adreçoit a ung sien amy notable clerc, lequel dict clerc meu de raison estoit de la meisme oppinion de ladicte contre ledit prevost, escript ladicte epiltre moult notablement, aournée de belle rethorique, et pour estre en deux pars valable, envoya a elle icelle ;

» Item comme ladicte, veu et considere ladicte epiltre, rescrivit audit prevost. »

III. *Carmina gallica.*

De illis hunc habemus locum cujusdam epistulae Joannis :

(1) Codice Paris. gall. 604 utor, f° 112.

Ex quo nuge ille nostre quadam sub ligatura in vulgari, reverende pater, non dignantur vestre submitti visioni, tentare est animus de solutis (1).

(1) Ex ep. inedita, cod., f° 106 v°.

CAPUT TERTIUM.

DE STUDIO LITTERARUM LATINARUM IN GALLIA ANTE JOANNEM DE MONSTEROLIO.

Qua celeritate Gallia vix romanae ditioni subacta Romanorum mores et cultum acceperit, omnibus vulgatum est, nec longo sermone demonstrandum videtur. Quo impetu olim in Capitolium irruerant Galli, aut adversus legiones, dum patriae libertatis tuendae spes fuit, pugnaverant, eodem depositis armis et lege victoris accepta in addiscendas litteras se proripuerunt. Jam primo post natum Christum saeculo, Gallia tota romana facta erat et cum victoribus de bonis disciplinis pacifice decertabat. Post irruptos in orbem romanum Barbaros, cum undique ingruerent animis tenebrae, Gallia aliquandiu ne ingenii humani lumen exstingueretur prohibuit : miserrima illa tempestate Rutilius Numatianus, Salvianus, Apollinaris Sidonius aliique nonnulli floruerunt, in quibus antiqui romani ingenii quasi novissima scintilla lucere visa est. His quidem Gregorius Turonensis, gallicae historiae parens haud immerito vocatus, nequaquam comparari potest, si stylum ac verborum

latinitatem attenderis, in quibus maxime claudicat. Ab eo jam in barbariem incidimus; jam incepta est illa aetas ad saeculum usque quintum decimum duratura, cui Medii Aevi nomen communi usu imponitur.

De conditione antiquarum disciplinarum per hanc longam tempestatem varie judicatur. Sunt qui putent Medii Aevi homines, fidei christianae arcte et inconsiderate tenaces, omnes gentilium libros nunquam nisi contemptui et odio habuisse; his si fidem adhibeas, omnia antiquitatis praeclara monumenta, ingenii humani aeternum decus inviolata oblivione sepulta fuisse credas, donec mutatis in melius animis saeculo XV° exeunte quasi novam vitam nacta fuerint. Eam quidem sententiam adeo falsam arbitror, ut huic tantum haerere posse mihi videantur illi quorum ingenium aut gravi rerum ignorantia aut praesumpta quadam opinione offuscetur; ad eam itaque refellendam tempus terere nolim. Longe alia est et magni nominis fulta auctoritate sententia elegantissimi viri Victoris Le Clerc, qui sic ait : « Inconsulte de litteris Medio Aevo exeunte renatis loquuntur qui de latinis litteris sermonem faciunt; non renatae, quia nunquam mortuae sunt (1). » Quae etsi mihi altera probabilior videtur, non tamen eminentem virum omne tulisse punctum profiteri velim. In medio veritatem residere arbitror. Fatendum est Medium Ae-

(1) « Quant à la littérature latine, peu s'en fallait qu'on ne l'eût déjà (au moyen âge) telle que nous l'avons aujourd'hui. Ce mot trop légèrement employé de renaissance des lettres ne saurait s'appliquer aux lettres latines : elles n'ont point ressuscité, parce qu'elles n'étaient point mortes » (*Hist. litt. de la France*, XXIV, 326).

vum ex auctoribus romanis quos hodie legimus paucissimos omnino ignoravisse. Sed quis negabit opera scriptorum romanorum non eadem diligentia sive neglegentia diversis Medii Aevi tempestatibus lecta versataque fuisse? Nonne igitur eos resurrexisse et renatos esse per similitudinem dicere possumus, iis potissimum tempestatibus in quibus majore ac quasi redivivo cultu opera eorum honorata fuisse nobis videantur? Nonne haec jure nobis, pace summi viri dixerim, loquendi ratio concedi debet?

Primus studia jamdudum mortua ad vitam revocare conatus est Carolus Magnus; haec bonarum litterarum instauratio a tot et tantis scriptoribus descripta est et celebrata ut de ea longum sermonem facere supervacaneum non injuria videretur. Illam aetatem de litteris bene meritam, quae Alcuinum, Angilbertum, Einhardum, Theodulphum, Lupum Ferrariensem genuit, mox saevior aetas excepit; breviorem lucem tenebrae longae oppresserunt.

Post duo tandem saecula ingenium humanum paulatim expergisci visum est, et ut primum experrectum est, ex antiquis fontibus vires novas haurire cepit. Saeculum duodecimum, quod, si gallicarum litterarum historiam necnon occitanicarum animadverteris, vere aureum dici potest, studio etiam romanorum scriptorum aetatem superiorem longe antecessit. Hoc multos viros extulit qui latina lingua ea elegantia usi sunt, ut eos in operibus classicorum consenuisse manifestum sit; extulit praesertim quamplures epistularum scriptores (inter quos Ivo Carnotensis, Hildebertus Cenomanensis, Marbodus Re-

donensis) qui assiduo ante oculos Ciceronis aut Plinii Secundi epistulas habuisse videntur easque nonnunquam feliciter imitati sunt (1). Nec sub silentio praetereundum est hoc eodem saeculo antiquitatem, licet multis adhuc erroribus deformatam, adeo favorem omnium obtinuisse ut poetas gallica lingua canentes et fabulosa facta Caroli Magni antea celebrare consuetos ad se primum attraxerit : hoc saeculo romani heroes ad aures gallicae plebis primum pervenerunt ; pius Aeneas famae Caroli Magni post longam oblivionem particeps factus est et cyclica antiquarum rerum materia gallicum epos dilatatum est. Non ergo injuria, ut mihi videtur, secundam litterarum latinarum renovationem saeculo duodecimo in Gallia floruisse praedicare possumus.

Saeculum duodecimum excipiens aetas nequaquam imitata est. Doctissimo enim viro Heeren assentiendum est, affirmanti tertium decimum saeculum inter infelicissima numerandum esse ab iis quibus de studio litterarum antiquarum curae est (2). Ea sententia cum de ceteris nationibus tum de Gallia verissima comprobatur. Plerique insuper historici (3) hanc incuriam litterarum antiquarum non saeculo tantum tertio decimo sed etiam quarto decimo et magna parte quinti decimi in Gallia perstitisse arbitrantur ; in Gallia animos torpuisse affirmant cum Italici, ducibus Petrarca et Boccatio, pro cultu antiquitatis instaurando viriliter pugnarent ; Gal-

(1) Vide Natalis Valois thesim anno 1880 propositam, cui titulus est : *De arte scribendi epistolas apud gallicos Medii Aevi scriptores rhetoresve.*

(2) Vide Hallam, *Hist. de la littérature de l'Europe*, Paris, 1839, I, 76.

(3) Vide ibidem, p. 107.

lia, si eis fidem adhibemus, non ante partem posteriorem saeculi quinti decimi ea tandem cupiditate cognoscendae antiquitatis accensa est qua jam elapsis centum et amplius annis Italia flagrabat; Guillelmus Fichetus, qui anno 1467 Parisiensem universitatem regebat, et Robertus Gaguinus, disertissimus historicus qui anno 1501 obiit, ut antesignani novissimae hujus litterarum latinarum instaurationis decantari solent.

Id nobis in hoc opusculo proposuimus, ut tertiae et illius quidem duraturae litterarum antiquarum instaurationis verum principium investigaremus. Cujus nostrae investigationis summa haec fuit, non in fine quinti decimi, sed quarti decimi saeculi principium illud esse constituendum. Regnantibus quidem Carolo V et Carolo VI Francorum regibus, multi in Gallia ad libros veterum legendos et in novam lucem revocandos animum operamque adhibuerunt, ut in hoc studio jam inde cum Italis decertare pro parte virili majores nostri voluisse videantur. Rei publicae lugendi casus studia jam vigentia oppresserunt; semina a studiosis viris sparsa et solo forsan nondum bene praeparato mandata discordiarum civilium procellae abripuerunt et ea fructibus carere coegerunt. Primarum tamen originum historiam scribere juvat, ut eorum labor qui messem optatam non viderint, memoria saltem posterorum non fraudetur.

Primum locum inter scriptores gallicos decimi quarti saeculi qui de litteris antiquis bene meruerunt obtinere debet Petrus Berchorius (1). Natus in Pictaviensi dioe-

(1) De ejus vita disseruit L. Pannier in *Bibliothèque de l'Ecole des chartes,*

cesi, in pago sancti Petri de Itinere (1), sub finem saeculi tertii decimi et ordinem Fratrum minorum primo ingressus, jam ante annum 1332 ad ordinem sancti Benedicti migraverat. Ab ánnis puerilibus theologiae studuit, et eo studio in gratiam et favorem Heliae de sancto Aredio et Petri de Pratis, romanae ecclesiae cardinalium, venisse videtur. Prima quidem ejus opera ad theologiam moralem spectant : scripsit *Reductorium morale*, *Repertorium morale* et *Breviarium morale*, tres immensi voluminis libros, quos intra decennium ab anno MCCCXXXV ad annum MCCCXLV absolvit. Jam ex illis cura quaedam et studium pellucent antiquitatis. Siquidem in parte *Reductorii moralis* quinta decima de Ovidii libris *Metamorphoseon* agit (2) ; falsum procul dubio Ovidium nobis Berchorius praebet dum poeticas fictiones ad moralem sensum reducere conatur, temporis sui mores in hoc ingeniumque secutus. Sane proprium est Aetatis Mediae omnia ad moralem sensum attrahere velle, sed proprium hoc Berchorii, Ovidium elegisse ut moralia eo auctore praedicaret.

Utilius postea splendidiusque et pro tempore inauditum opus aggressus est Berchorius : anno MCCCLII, Joanne Francorum rege hortante et favente, Titum Livium in linguam gallicam convertere coepit. Tum pri-

anno 1872, p. 325 et s. Nonnulla documenta ipse ego ex archivo Vaticano erui et in publico proposui quae vitam Berchorii nova luce illustrant ; vide ea in *Romania*, anno 1882, p. 181 et s.

(1) Saint-Pierre-du-Chemin.

(2) Vide Hauréau, *Mémoire sur un commentaire des Métamorphoses d'Ovide*, apud *Mém. Acad. des inscr. et belles-lettres*, t. XXX, 2e partie.

mum Romanorum historia oculis majorum nostrorum subjecta est, erroribus et fabulis tandem liberata, quibus plurium saeculorum ignorantia illigata fuerat; tum primum lingua nostra cum latina congredi ausa hujus exuviis ditescere incepit. Merito igitur Berchorii nomen celebrandum est (1), neque injuria amicus et hospes ejus illustris Petrarca eum *virum insignem pietate et litteris* vocavit (2).

Majorem etiam locum inter aequales suos obtinuit, majoremque sui famam posteris reliquit Nicolaus Oresmius (3). E provincia Normannia ortus natusque infimo loco, Lutetiam venit et in gymnasio Navarrae gratuito educatus est, cui postea ab anno MCCCLVI ad annum MCCCLXI praefuit. Litterarum studio favorem amorem-

(1) Verba haec L. Pannier de Berchorio hic inserenda mihi videntur toti hujus opusculi nostri rationi miro quodam modo congruentia : « Le premier il chercha à comprendre l'antiquité et à la faire comprendre, et s'avisa d'étudier l'histoire romaine, non plus dans les compilations fabuleuses des bas temps du moyen âge, mais dans les historiens romains ; le premier, en même temps qu'il s'efforçait d'introduire dans notre langue des termes nouveaux pour exprimer des idées nouvelles, il tenta de lui donner un peu de l'ampleur et de l'élévation qu'il admirait dans son original latin. Grâce à lui, grâce aux traducteurs qui sur ses pas se mirent à l'œuvre, la France du quatorzième siècle, reprenant goût aux chefs-d'œuvre classiques, eût peut-être pu, comme l'Italie avec Dante et Pétrarque, renouer dès lors la tradition littéraire interrompue et avancer de cent cinquante ans la Renaissance. Les circonstances arrêtèrent ce mouvement dès le début, et, il faut le dire aussi, le génie manqua à ces initiateurs. Mais si la tentative ne fut pas suivie de succès, si la tâche était trop lourde, il n'y en a pas moins du mérite à avoir fait l'effort, et le fait n'en est pas moins digne d'être étudié de près et avec quelques développements. »

(2) *Epistulae seniles*, XIII, 1.

(3) Vide de eo Fr. Meunier, *Essai sur la vie et les ouvrages de Nicole Oresme*, Paris, 1857. Mortuus est Oresmius anno MCCCLXXXII, a. d. V idus julii.

que Caroli quinti, Francorum regis, sibi conciliavit, qui eum episcopo Lexoviensi anno MCCCLXXVII donavit. Hortante principe et muneribus impellente, Aristotelis *Ethica, Politica*, *Oeconomica* nec non *de Caelo et Mundo* librum, ab anno MCCCLXX ad annum LXXVII, in gallicam linguam transtulit, non quidem e graeca, quam nemo tum in Gallia non ignorabat, sed e latina lingua. Neque translationi tantum operam dedit : summi philosophi operibus prooemia, epilogos, annotationes adjecit, quibus latinos auctores antiquos ei familiares fuisse probatur, ita ut una eademque pagina Anchisae apud Vergilium oratio, Prisciani de metris Terentianis opusculum, Ciceronisque Academica laudentur (1).

Illi duo viri ante Joannem de Monsterolio antiquitati praesertim studuerunt. Eos sileo, qui jussu Caroli quinti opera sanctorum patrum in gallicam linguam verterunt, etsi vel apud eos ab auctoribus profanis multa decerpta loca inveniuntur. Duos contra obscurioris nominis scriptores praetermittere non licet, quippe qui auctoribus profanis studuerint : Jacobum Bauchant, qui Senecae opusculum, Simonemque de Hesdinio qui Valerium Maximum in gallicam linguam, hortante Carolo rege, transtulerunt (2).

Nunc de ipso Joanne de Monsterolio fusius dicendum est.

(1) Vide ib., p. 89.

(2) Vide L. Delisle, *Le cabinet des mss. de la bibliothèque nationale*, I, 40. Valerii Maximi translatio a Simone inchoata, a Nicolao de Gonessia jussu Bituricensis ducis postea est terminata.

CAPUT QUARTUM.

DE STUDIO LITTERARUM LATINARUM APUD JOANNEM DE MONSTEROLIO.

Si quis epistulas Joannis de Monsterolio cum editas tum ineditas vel summatim percurrerit, non animadvertere non poterit quam frequenter romanorum scriptorum nomina legenti occurrant. Romanos auctores prae manibus, prae oculis, prae mente assidue Joannes noster habet; non semel sed sexcenties nihil sibi jucundius esse affirmat quam ut eis studere possit (1); de eis eorumque operibus novum nova semper cum delectatione sermonem orditur. Quo studio eorum libros legerit, quae relegione, ut ita dicam, eos veneratus sit, ipse nobis, modo verba ejus de unoquoque breviter recensere non taedeat, profitebitur.

M. Tullius Cicero, ut apud plerosque scriptorum ro-

(1) « Longissimarum istarum noctium partem quibis exhaurire, audiendo videlicet legendoque actores (*sic*) illos antiquos, quorum sententiis perfrui et eas degustare preclarius delectabiliusque est quam cumulandis honoribus aut opibus struendis, que prima vulgus putat, inherere » (*Ex ep. ined.*, Cod., fº 3).

manorum princeps habetur, ita et apud Joannem de Monsterolio praecipuum locum obtinet. Hunc romanae eloquentiae parentem prædicat Joannes noster; hunc amicis et discipulis legendum et imitandum proponit; hunc denique summis effert laudibus et adversus detrectatores, si qui surrexerint, acriter defendit. De eo in epistulis tam crebra fit mentio, ut omnes referre locos ne in taedium veniat, nolim. Qua veneratione eum Joannes coluerit res una satis indicabit. Contigit ut quidam e grege litteratorum Lutetiae commorantium, patria Mediolanensis et nomine Ambrosius de Milliis dictus (1), romanum oratorem impugnaret eumque reprehenderet quod sententias inter se pugnantes nonnunquam fuisset professus. Hoc vix audito Joannes exarsit et ea violentia in Ambrosium invectus est, ut propriam agi causam facile crederes :

(1) Is Ambrosius de Milliis ex Italia in Galliam profectus favorem Joannis de Monsterolio scientia sua linguae latinae sibi conciliasse videtur; Joannis patrocinio usus, a Ludovico duce Aurelianensi, regis Caroli VI fratre, in familiam ab epistulis adscriptus est; Joannis domum satis diu tanquam suam frequentavit, sed postea animo parum grato in patronum suum invectus, longam epistulam Gonthero Colli scripsit, in qua mores, animum et scientiam Joannis criminatur (Eam habes in *A. C.*, II, 1456, ubi epistulis J. de Monsterolio sub n° 76 subjicitur). Ad hanc epistulam epistulam longiorem vehementioremque rescripsit Joannes, quae jacet inedita in codice Parisiensi, f° 69. Ipse etiam Nicolaus de Clamengiis causam amici suscipere voluit et sumpto nomine Gontheri Ambrosium de ingrato animo objurgavit; epistulam habes editam inter opera Clamengii (Lugd. Batav., 1613, f° 33°). Cum eodem ut de Cicerone ita de Vergilio Ovidioque inter se comparandis litigavit Joannes; videtur postremo cum eo rediisse in gratiam et de ejus mirabili conversione jocose loquitur in alia epistula (Vide eam in *A. C.*, n° LII). Hic Ambrosius anno 1412 pridie nonas februarii in civitate Astensi erat et ut scriptor ducis Aurelianensis annua accipiebat (Vide M. Faucon, *Rapport de deux missions en Italie*, Paris, 1882, p. 58).

« Portentuosum prodigium (ita scribit Nicolao suo de Clamengiis) monstroque simillimum et quod, ut veraciter ille ait, *nullo unquam exciditore* , iterum tibi, vir egregie, scripturus sum, sed profecto vix sum apud me quod isto valeat calamo explicari. Ecce enim, ne te per longa exorsa teneam, ecce rursus dominus ille Ambrosius (et ne vanum putes aut ludicrum, per hanc id tibi assero dextram, per hosce oculos perque caput hoc juro et per si quid unquam michi boni det Deus vel honoris, sed quod miraberis regio notario ac testibus per eum non parvis ut interessent evocatis), ausus est dominus ille Ligur ore sacrilego, ne dicam pace sua, denuo affirmare Tullium tantum rethorem, philosophum talem, oratorem qualem nobis, ut auguror, non restaurabit partus ullus, civemque immo consulem et secundum nonnunquam imperatorem romanum posse et debere (verba sua sunt hec) de contradictione reprehendi (1) ! »

Ex alia epistula haec eadem de re eruimus :

« O Marce Tulli eternum colende, ergo ad contradictionis metam per hunc novicium reduceris ! ergo contra professionem tuam et quam (2) sine remissione jugiter coluisti, exercuisti et omnibus qui sunt vel fuerunt (nemini displiceat) magis decorasti et auxisti, diceres aut doceres ! Absit, Deus, absit tante inconstantie macula tantum philosophum ac eloquentie parentem posse notari !... Quis pri[m]us e greco in latinitatem philosóphiam sub ornatu transtulit ? Tullius. Quis praticavit rethoricam ? Tullius. Qui magnificavit illam ? Tullius (3). »

Nec temere aut fortuito sibi propugnationem pro fama Ciceronis Joannes suscipit ; nemo, ut opinor, ex ejus aequalibus tam longum, tam assiduum studium Ciceronis ostentare et jactare poterat. Orationes, epistulas, rhetorica et philosophica scripta pariter legerat, ut brevi recensione manifestum fiet.

(1) *A. C.*, nº LIX.
(2) In codice *quod* perperam legitur.
(3) Ex epistula inedita, Cod., fº 92 vº.

Has Ciceronis orationes in epistulis Joannis de Monsterolio laudatas inveni :

Pro S. Roscio (1).

Pro Caelio (2).

In Verrem (3).

Pro Cluentio (4).

In Catilinam (5).

Pro Archia (6).

Pro Milone (7).

Pro Ligario (8).

In M. Antonium (9).

In P. Clodium (10).

Opera haec Ciceronis ad philosophiam spectantia a Joanne de Monsterolio citantur :

Paradoxa (11).

(1) « Non preteristi videre orationes Tullii tot tot sceleribus implicitas, praesertim he que pro Sexto Roscio, Cluentio, Milone ac Cecilio, necnon in Claudium acte sunt, nichilominusque in Catilinam Verremque et Anthonium » (Ex epistula inedita in Cod. Vat. Reg. 332, f° 59 v°).

(2) Ibidem, ubi *Celio* pro *Cecilio* legendum arbitror.

(3) Ibidem. Adde quae sequuntur : « Querenti michi, ut fit, hoc in Elicone modico alium libellum quendam meum, nunc quasi dedita opera sese ter quaterque Verrine mee obtulerunt » (Reliquum vide in *Append.*, II, 8).

(4) Vide not. 1.

(5) *Ibidem.*

(6) « In conservatoria seu hortatoria pro Lucio Archia » (Ex ep. edita in *A. C.*, n° LVIII).

(7) Vide notulam 1.

(8) « Maximas reverentie tue gracias ago et habeo de liberali efficacique missione tue orationis Marci Tullii pro Quinto Ligario » (Reliquum vide in *Append.* II, 2).

(9) Vide notulam 1.

(10) *Ibidem.*

(11) « Ordiarne igitur aut texam ethica Aristotilis instar vel Socratis, seu

De Legibus (1).
Tusculanae disputationes (2).
De Natura Deorum (3).
De Divinatione (4).
De Amicitia (5).
De Officiis (6).

Quae scripsit Cicero de rhetorica, non solum ea non fugerunt Joannem nostrum, sed singulari studio ab illo lecta et versata videntur. Libellos praesertim *de Oratore* et *de Partitione oratoria* in manibus habuit, et eos in quadam inedita epistula cuidam suo nobis ignoto amico commendat, quam hic ob brevitatem referre juvat :

« En mitto, cape, quem petisti *de Oratore* Tullium, qui utinam a me

de Tullii *Paradoxis* vel *Questionibus Tusculanis* aut de mathematice theorica sive de officialibus tractare me ingeram? » (Ex ep. ad Clamengium inedita, Cod., f° 103 v°.)

(1) « Ad libellos meos vice tui a cetero me convertam, eos maxime qui docent bene beateque vivere et cum discrepantia corruptissimi hujus vulgi, ut sunt morales Ciceronis excellenti quidem traditione mortis metu, doloribus, egritudinibus, formidinibus, perturbationibus cupiditatibusque et tandem, bone Deus! tot tot superstitionibus nos levantes, hi precipue qui sunt inscripti *de Natura Deorum* et *Divinatione* et pariter *de Legibus* » (Ex ep. inedita, Cod., f° 53 v°).

(2) « Quos, si non maxime desiperent, animavertere ac dirigere Tullius ipse deberet ubi in *De Divinatione* eis inquit : *opinionum commenta delet dies ac nature judicia confirmat*, et illud Platonis ab eodem Cicerone in *Tusculanis* recitatum : *felix cui Deus dedit veras opiniones habere, saltem in senectute* » (Ex ep. edita in *A. C.*, n° VII).

(3) Vide notulam 2.

(4) Vide notulas 2 et 3.

(5) « Pene tanquam de familiari suo, in libro quem de *Amicitia* edidit, Therentio loquitur [Cicero] » (Ex ep. edita, n° LVIII).

(6) Vide notulam 1 ; adde epistulam ineditam in Cod. Vat., reg. 332, f° 59. Ubique legitur *De officialibus*.

quam carus est ita visus intellectusque fuisset! Sed tam sepe diversum rapior, tamque legendi, immo currendi in omnibus que studenda se offerunt sum avidus, ut vix prospecto primo verbo finem exardescam pervidere, et frequenter de aliis intellegendis est voluptas. Sic optime michi convenit illud Annei: *Non convalescit planta que sepe transfertur*. Ex adverso pedetentim videto hoc volumen perscrutareque medullitus et ad vivum, ac sententiarum pondus masticato traditionisque artificium enixe versaque reversa. Non erit, crede michi, quin hesterne diei de tua questione abeas satisfactus et admodum proficias in quo tam fervide cepisti. Unum oro, obsecro obtestorque, ut ad tuum profectum meamque instructionem delectationemque, posteaquam hunc videris libellum, nichilominusque pro tuo exercitio *de Partitione orationis* tractatum michi summes (*sic*). Mea enim est et fuit semper estimatio, si fallor dijudica, magis studendo ut unum et unum scribendo proficere quam ut quatuor studendo dumtaxat vel legendo, ita tamen ut, jam scripsi ac repeto, in omnibus que a cetero mecum ages aut loqueris clarus sis, et quod de Cipriano ait Firmianus, apertus, quod interprete non egeam vel commento; immo, eundem juxta Tullium, levis sit sermo et usitata verborum consuetudo. Vale prout optat qui hoc scripsit *sole recens orto*, ubi sese posuerat *cum medio volvuntur sydera lapsu* Johannes subdescriptus (1). »

Epistulas denique Ciceronis rarius forsan evolvisse, sed non tamen ignoravisse Joannem nostrum comperimus (2).

Ea igitur inter opera Ciceronis in manus Joannis de Monsterolio inciderant; fortuito autem casu incidisse nequaquam putandum est. Multa fecerat, multa molitus erat, ut summi oratoris scripta compararet. Ita enim scribit ad quendam insignem virum, a quo orationem

(1) Cod., f° 36 r°.

(2) « Vale, mi pater, et ut ad gnatum scribit Cicero, tibi persuadeas te michi esse carissimum » (Ex ep. inedita, Cod., f° 3). Adde *App.*, II, 7, ubi locum de Vatinio Joannes ex epistulis Ciceronis ad familiares excerpsit.

pro Q. Ligario ex Italia, ut videtur, missam acceperat :

« Maximas reverentie tue, pater conscripte, gracias ago et habeo de liberali efficacique missione tua orationis Marci Tullii pro Quinto Ligario, dignitatem profecto ingenii opificis elegantissimi indicantis; quam utinam alie particulares orationes sue omnes sociassent! Cujus siquidem orationis occasione, ipsius principis eloquentie quosdam michi libros conquisivi. Verum quia apud nos rari sunt et penes vos in illis partibus, ut dicitur, in copia, obsecro, oro et obtestor quatinus ad hujus nobis accessoris nepotis tui requestam mearumque supplicationum interventu quotquot plures ejusdem Ciceronis orationes ac epistolas suas, quanticunque constiterint(qui modo non audeo de *Re publica*, de *Oratore*, de *Particione orationis*, de invectivis *in Verrem* et *in M. Anthonium*, de *Tusculanis questionibus* onus dare) mittere paternitas tua non omittat (1). »

Dum haec scribit Joannes, libros de *Oratore*, de *Partitione oratoria*, *Tusculanas disputationes*, orationes *in Verrem* et *in M. Antonium* sibi deesse fatetur, quae omnia posterius quocumque modo comparata eum habuisse et legisse supra ostendimus. Quod attinet ad libros de *Re publica*, ejus investigationem frustra tum fuisse exploratum satis habemus, cum nostris tantum modo diebus opus illud insigne Ciceronis, ne integrum quidem, in lucem revocatum fuerit.

Non raros tantum in Gallia aut paene incognitos Ciceronis libros sed vel jam cognitorum codices raros et optimos in pretio habuit et undique conquirere studuit. Cum ad quendam amicum orationes in Verrem mittit, eas *corruptas in parte atque laceras* esse lamentatur (2).

(1) Epistulam integram vide in *Append.*, II, 2.
(2) Vide *Append.*, II, 8.

Quo igitur gaudio optimum quendam Ciceronis codicem apud Galeottum de Petramala, romanae ecclesiae cardinalem, exstare acceperit, facile intelligi potest. Hic merito narranda videntur quae tentaverit ut hunc codicem, mortuo cardinali, in suam ditionem reduceret. De eo prima occurrit mentio in quadam epistula, quam cum inedita sit hic transcribere dignum duco.

« O actiones terrenas! o mundanas opes fragiles quippe et caducas, quam unco tenaci hominum mentes glebe, quod aiunt, astringitis, ut si quid contemplationis oboriatur vel ocii, protinus avertitis! Cur hec premiserim causa subest, vir utique michi venerande, quod cum in votis a diu et maxime maximeque gestavissem, precipue postquam noster Symon huc appulerat, scire quo declinavit aut per subtractionem subreptus est volumen quoddam operum quam multorum Ciceronis, correctissimum, respectu tamen incorrectionis aliorum, quod quidem fuerat domini de Petramala cardinalis et perprius Ebredunensis, sed tanta occupatio extitit agendorum, aut, ut verius dicam, Johannis ignavia, quod de tibi scribendo aut quod super id loquerer cum prefato Symone abfuit memoria et neglexi, ex quo jure affligi fateor, per quos patior dehinc manes. Rogandam igitur benivolentiam tuam fore velim, per quantum amas me tuique prepositi cupis affectibus subvenire, omni opera, ingenio et industria agas, si permutatione alterius voluminis, precio precariove vel pignore aut alias quoquo pacto ad me usque transferri posset. Profecto absque yperbolica loquutione quam episcopium gratius erit michi. Super qua re parte mea omnimode informatus venit ad te is accessor, cui credentiam dari precor et obtestor per omnia tanquam michi (1). »

De illius voluminis sorte certior postea factus est Joannes et illum ad cardinalem Albanensem (2) deve-

(1) Cod., f° 42 r° et v°.

(2) Hic Nicolaus Brancacius vocabatur, mortuus anno 1412, et jam ab anno 1388 cardinalis Albanensis creatus erat.

nisse cognovit a quodam insigni viro, cujus operam perutilem in hae re sibique ultro oblatam grato animo in alia epistula celebrat (1). Haec ibi de codice illo leguntur :

« Volumen predictum, in quo libri morales Tullii pluresque orationes sue continentur, habuit idem dominus Albanensis ab executione celebris memorie domini cardinalis de Petramala, et fuit perprius domini cardinalis Ebredunensis (2), scriptum quod aiunt littera nec antiqua nimis nec nova, et satis correctum, respectu tamen incorrectionis aliorum. »

Parum tamen Joanni nostro opera ignoti illius patroni profuit. In multis enim epistulis de hoc codice, qui Bononiam devenerat, loquitur, et vota quo inaniora eo ardentiora frequentioraque promere videtur.

De fasce illo ethice ciceroniane in Bononia sapientis iterum iterumque monemus, qui haud dubie apud me pluris erit accommodato vel precio quam episcopii paratio, quippe : *Hec eadem ut sciret quid non faciebat Amintas ?* Vide quam non reformidem his dictis tue onus imponere dilectioni ; quam tamen non dubito integerrime facturam posse suum. Vale, et meam ferto de hoc volumine importunitatem. Si quid est enim quod usquam circa eloquentiam michi sapere datum fuerit, hoc erit quod veneror Ciceronem, ad Quintiliani relatum dicentis : *Sciat se jam admodum in rethorica profuisse cui Tullius placuit* (3).

Sed maxime ac maxime, cum res utique digna sit ubi nervos intendas tuos, fac illo correcto, ut aiunt, Boloniensi Ciceronis volumine potiaris, jugiterque hujus tui preposi Insulensis memor esto (4).

(1) Edita est epistula in *A. C.*, n° LXV.

(2) Hic Petrus Amelii vocabatur et anno 1389, quarto idus augusti decesserat.

(3) Ex epist. inedita, Cod., f° 108 v° nec non 109 r°.

(4) Ex epist. inedita, Cod., f° 88 v°.

Vale cum eadem uxore evo jugi, quam salvere jubeo eque ut eam que uberibus me lactavit, tu memor Ciceroniani voluminis de Bononia, quod si tam correctum est ut ferunt omni precio competenti desiderarem meum esse (1).

Ad te igitur redeo, vir discrete, enixe deprecans et obsecrans ut quod meis non datur affectibus, in persona scilicet te videre, supple[as] scriptis, intimando statum egregie familie tue cui me commendari deposco, deque rebus tuis ut se habent, et quid de illo volumine Ciceronis egisti (2).

Usque adeo Joanni de Monsterolio Ciceronis codicum cupido prolapsa erat, ut quidam nomine Galtherus eum furti insimulare subreptaeque sibi cujusdam Ciceronis epistulae arguere ausus fuerit. Quam falsa fuerit haec accusatio, satis demonstrant cum indignatio qua motus est Joannes cum primum de crimine sibi objecto certior factus est, tum deficientis epistolae causa ab ipso explanata :

« O seculum prius ! O priscos mores ! immo o rem ridiculam ! Insons a sonte, simplex a callido, a lupo agnus, optimus a doloso, innocens a nocente publice accusatur et in judicium trahi minatur ! Dic, rogo, Galthere, quem tibi aut Deum aut hominem auxilio futurum putas?... Copiam nescio cujusdam epistole Ciceronis audes tenerarie dicere furtim me et infideliter retinuisse !... Verius vero ipse, ut bene appellas, vas eloquentie, immo decus, gloria et ornamentum nostrum noster de Clamengiis in Ambrosini receptione litterarum casualiter erat mecum, qui predictam Tullii epistolam, ob quam sic objurgans turbaris et ineptis, asportavit et illam hercle habebat temporis intersticio quo tibi rescripsi (3). »

(1) Ex epist. inedita, Cod., f° 54 r°.
(2) Edita est epistula in *A. C.*, n° VII.
(3) Ex epist. inedita, Cod. 13062, f° 78 r° et v°.

Ut inter prosarum scriptores Cicero, ita inter poetas Vergilius Joanni nostro in primis placuisse videtur. Quae vices quaeque mutationes et Vergilium ipsum et ejus carmina per Mediam Aetatem exceperint, nemo quidem, quantulumcumque est litteris imbutus, ignorat (1). Alii opera ipsa oculis subjecta vix capiebant poetamque ad infimas grammatici partes cogebant, alii vitae et operum egregii vatis pariter ignari, et aetatem in qua vixerat turpiter adulterantes fabulis de eo ridiculis credebant et semel auditas decantantes magis magisque in portentosa deformabant. Haec laus non immerito recenti aetati tribuitur, quod renascentibus litteris verum Vergilium in locum falsi illius et mendacis, quem sibi Aetas Media quasi dedita opera finxerat, restituerit. Quod si de Vergilio Joannem de Monsterolio interrogamus, eum omissis Medii Aevi fabulis recentioris aetatis animum induentem cernemus.

In quadam inedita epistula ad Gontherum Colli amicum increpat quod nihil sibi, nihil amicis scribat; narrat quae ipse communibus amicis dixerit cur Gontherus excusatus abiret; scilicet Gontherum Vergilio assiduo studere affirmavit, et nunc vera an falsa dixerit interrogat. Hoc usus diverticulo aliique tribuens quod proprium certe erat satis candide nobis Joannes se ipsum Vergilii opera pertractavisse profitetur :

Qui scitis, domini mei, perquam venerabiles et alte considerationis viri, qui scitis an Gontherus Maronis Eneidem, qua indesinenter

(1) De hac re legendum est in primis opus eruditissimi viri D. Comparetti, *Virgilio nel Medio Evo* (Livorno, 1872).

comitatur, in promptu habere et mente tenere velit, et ut capacis tenacisque memorie est et bonarum disciplinarum avidus, elaboret ut perinde bella illa Jovi etiam ipsi ingruentia vobis soluta disertaque lingua sua, cum redierit, corde promat, quasi illum audire judicetis *quo non prestantior alter*, ut ipse testatur Virgilius,

Ere ciere viros et Martem accendere cantu?

Qui scitis insuper an pregnantissimam nobilissimamque allegoriam qua Eneas, vir pius ac religiosus magnanimusque, fortis, justus, temperatus ac prudens tuba Maronis instituitur intensius consideret, necnon passiones preterea et affectus pariter hos mundanos sub inferni vocabulo in sexto ejusdem operis libro descriptos mirificentissime contempletur, ac multiplicia philosophic archana misteriaque infinita ibidem consepulta preponderet, et demum orationes magno artificio refertas, sueque vim eloquentie, proprietatem, claritatem, dispositionem, ordinem, gravitatem, venustatem suavitatemque, ornatum quoque mirabilem, ut posteris cedat ad exemplar, congruentissimam insuper grammaticam, colores, juncturas, scemata, fabulas, que tamen ad naturam rerum et mores hominum applicantur, et simul historias succincte admodum et artificiossime tactas, cola, comata, periodos, troposque annotet et figuras? Nichilominusque rimatur Gontherus idem noster (haud dubie supponite) locos a Virgilio acuratissime ad pathos movendum praticatos et quodlibet orationis genus et grave et mediocre et attenuatum, que distinctissime exercuit, suasiones, dissuasiones, suspiciones, accusationes, excusationes, consolationes, irritationesque parabolas, transumptiones necnon vocabulorum sententiarumque usurpationes et lepores, elegantiam, compositionem, dignitatem et connotationes terminorum, immo vero sic oratoris officium ad extremum exequitur unguem ut apud auctores egregios reddatur incertum quis eodem Virgilio aut ipso Cicerone orandi utatur magis arte, vel a quo de illa lautius disci possit. Transeo, non enim omnia percurrere libet, mortalitatum tempestatumque maris atque terre maronianas descriptiones perproprias et naturaliter adeo designatas, ut manifeste geri et ad oculum videantur. Quid dicam quod liberalium artium apices sic attigit et philosophorum sectas ac nautarum navigationes armamentaque classium reseravit et expressit, nichilominusque cerimonias et ritus deprompsit paganorum et tam polite apprimeque suum

sermonem variavit quatinus satietas vitaretur, quasi ad quodlibet agendum innatus dici possit aut natura ipsa in eo devoverit semper loqui. Taceo quin etiam quod Georgica Bucolicaque sic anxie tractavit ac armorum strepitus et insultus opidorum necnon regionum montiumque ac fluminum situs, convictum, frugalitatem et luxum commessationum, ut si non lectores sue vite gnari essent, et pastorem et ruricolam expertissimum et demum augurem doctissimum in vitibusque colendis et incidendis arboribus medendisque pecoribus et apibus procreandis, exercitatissimum et bellicosissimum militem totumque orbem peragratum fuisse irrefragabiliter crederent Virgilium; quorum singula et particularia queque sigillatim si explicare temptavero, eo testante,

Ante diem clauso componet vesper Olimpo (1).

Vergilii et Ovidii ingenia inter se comparare res trita est in scholis cum antiquis tum recentioribus; nihil ergo mirum est tempore etiam Joannis de Monsterolio comparationem illam litteratorum animos sollicitavisse. Varia oriebantur judicia. Ambrosius ille de Milliis, quem supra in Ciceronem assurgentem ostendimus, pro partibus Ovidii stabat, ut ipse testatur Joannes :

Est hic quidam degener in hac parte et futilis Ambrosius nomine, familiaris tuus quondam et michi, nunc vero et quamdiu isto perstiterit in errore inimicus capitalis, ausu qui temerario palam ac vicibus repetitis (dictu mirum et terribile cogitatu) magistrum illum amoris Ovidium, quia forsan illi vacat, prefato poetarum parente Virgilio (proh nefas!) ingenii excellentioris asseveravit extitisse.

Facile ex illis verbis praesentitur Joannem de Monsterolio pro Vergilio non minus acriter quam antea pro Cicerone propugnavisse. Longa est ejus oratio (2), sed

(1) Cod., f° 79.

(2) Publicata est in *A. C.*, n° LVIII.

quae saepius in declamationem aut digressionem prolabatur, ut quamvis nos cum eo Vergilioque stare procul dubio juvet, Vergilii tamen patronum parum acutum eum judicare necesse habeamus.

Haec de Vergilii cultu apud Joannem de Monsterolio sufficere nobis videntur, neque operae pretium est omnes colligere locos ubi poetae singula carmina ab auctore nostro citari contigit.

Ut Ciceronis et Vergilii ita Terentii comici fervidam laudationem in epistulis Joannis invenimus :

Non falleris, vir egregie (ita ignoto cuidam amico scribit), non falleris, ni prius Petrarcha ac Tullius sapientumque aliorum falsa fuerit turba multa, in audiendo Therentium, ab illo potissime qui potest si que orirentur sententiarum difficultates aut dubia protinus depellere et de antiquissimi autoriste instruere luculenter grammatica ac facile accomodatas reddere dictiones (1). En jam videre videor, vir discrete, tete illum toto accipere pectore, lectitare, amare, colere, et dicere : O dies nequiquam preteritos, quibus te non videram, Therenti dulcissime, clarissime, propriissime, eloquentissime et, ut ait Flaccus, artificiosissime, et, ut dicam mea quod sentit exilitas, speculum humane vite ac morum validissimus descriptor! Mitto igitur tibi, pater mi, domine et instructor, prefatum petitum poetam et philosophum, qui si Marone concomitatus foret ad vivum intellecto, tum telis contis sudibusque tuis et ceteris armorum generibus que scribis potenter qua libuerit uti quires ac etiam, si mavelis, falarica, audenterque confidas quod duo excellentes isti viri, multos qui perfecerunt oratores, rethorem te non sinent abire imperfectum, modo quo opus est perseveranter institeris ac fervide (2).

(1) Haud scio an ex illis verbis merito concludi possit jam tum in universitate Parisiensi aliquem doctorem Terentium legere et explicare coram discipulis suis incepisse.

(2) Epist. inedita, Cod. 13062, f° 104 r° et v°.

Jure quidem Terentium laudare poterat Joanne, nam haud scio an ejus menti et calamo omnium latinorum familiarissimus Comicus ille exstiterit. Inde factum est ut amicus ejus Clamengius, ad eum scribens beneficium pro communi amico petiturus, his eum verbis ad conciliandam sibi gratiam alloquatur : « Unde tibi commodius scribere ordiar quam a familiari tuo Terencio? *Orator ad te venio, sive ut exorator sim* (1). » Ea est enim Joannis cum Terentio familiaritas, ut si quis epistulam ejus qualemcumque legendam temere susceperit, mirum profecto, nisi unum saltem locum e comoediis Terentii excerptum inveniat. Rem ita se habere haec pauca ex epistulis non amplius triginta extracta exempla fidem facient :

Ut de paternitate tua cum Maroniano pastore illo canant :

> Dum juga montis aper, fluvios dum piscis amabit,
> Dumque thymo pascentur apes, dum rore cicade,
> Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt (2);

immo si Therentii sententia uti fas esse duceretur, *presentem Deum habent* (3). Sed qui sim et cur hec ad te de te scripta sint fortassis quisquam queret. Is sum, sciant omnes, *cujus mentiri*, eundem juxta Therentium (4), *non est meum* (5).

Ad partes illas remeat doctor iste pervenerabilis et apprime scien-

(1) Ex epist. inedita Clamengii ad J. de Monsterolio quam cum in multis codicibus tum praesertim in Cod. bibl. nat. 13061, f° 17 r° videre potes.

(2) Vergilii eclog. V, 76.

(3) *Phormio*, v. 345.

(4) *Heautontim.*, v. 549.

(5) Ex epistula ad cardinalem Pampilonensem, quam habes in *A. C.*, n° XXXVII.

tificus atque gravis, ut Therentianum diceres illum esse (1) *in quo tristis severitas inest in vultu et in verbis fides* (2).

Quoniam *metui a Chriside* (3), et semper cum Therentio *vereor ne quid Andria apportet mali* (4)... quin verius *res pejori esse non possunt quam sunt loco* (5), teste comico (6).

Iste accessor plerorumque amicorum tuorum amicus est; juvabis ergo quemadmodum Menedemum Chremes, *aut consilio* scilicet *aut re* (7) aut utroque (8).

Sed tandem *incertiores rediimus quam ante* (9), ut est in Therentio (10).

Vale et si quid a me sacram circa legem matrimonii peccatum est, *corrigemus* (11) ad Therentii consilium *te judice* (12).

At enim dices non ut senex ille Menedemus (13) *quantum hic operis fiat penitet,* quin potius me delectat ut rei publice subserviam (14).

Tenes quid velim, tametsi *nullus dicam* (15), cum comico (16).

Dicebam cum Clinia mutato nomine Antiphile : *Teneone te, Jacobe mi, maxime animo expectate meo* (17)... Nec michi est suspitio, prohibeat Deus! te in illorum supputari numero de quibus a Therentio (18) dictum est, *qui ubi ad uxores ventum est, tum fiunt senes* (19).

(1) *Andria*, v. 859.

(2) Ex epist. inedita in Cod. 13062, f° 11 v°, in qua de Jacobo de Noviano suspicor agi.

(3) *Andria*, v. 106.

(4) *Andria*, v. 76.

(5) *Adelphi*, v. 345.

(6) Ex epist. ad Petrum de Alliaco, quam habes in *A. C.*, n° XIV.

(7) *Andria*, v. 106.

(8) Ex epist. ad Nicolaum de Clamengiis, quam habes in *A. C.*, n° XV.

(9) *Phormio*, v. 459.

(10) Ex ep. ad Clamengium, *A. C.*, n° XVI.

(11) *Heautont.*, v. 254.

(12) Ex ep. inedita, Cod. 13062, f° 23 v°.

(13) *Heautont.*, v. 72.

(14) Ex ep. ad Clamengium.

(15) *Eunuchus*, v. 206.

(16) Ex epist. inedita, f° 33 r°.

(17) *Heautont.*, v. 407.

(18) *Phormio*, v. 1009.

(19) Ex epist. inedita, f° 34 r°.

Non vereor cum Therentio (1) *coram in os te laudare* (2).

Si quid a nobis peccatum est profer; aut ea refellendo aut purgando *corrigemus te judice* (3), et cum ipso Therentio (4) *an temere quicquam Parmenonem pretereat quod facto usus sit* (5).

Nec michi placidius quitquam aut quod tenacius inheserit animo Therencius docuit quam cum Demeam dirum senem fateri introducit (6) facilitate nichil esse homini melius atque clementia (7).

Familiarem suum Terentium afferre, ejusque verba et sententias usurpare adeo in consuetudinem Joannes noster verterat, ut ad summum pontificem scribens auctoritate comici niti ausus fuerit, omissis sanctis Patribus. Hoc ei, neque, ut mihi videtur, immerito, crimini dedit Parisiensis ecclesiae cancellarius egregius Joannes Gerso. Tam insignis magistri dicto non obtemperare non poterat praepositus noster; siquidem in quadam epistula (8) crimen sibi objectum confitetur, sed ita ut criminis parum sincere eum poenituisse videatur : manet, ut ita dicam, alta mente repostum judicium Gersonis spretique injuria Terentii, illatamque injuriam quodam modo ulcisci velle videtur, dum Gersonem erroris convincere tentat.

Forsan longius aequo de Ciceronis, Vergilii et Terentii studio apud Joannem de Monsterolio disseruimus,

(1) *Adelphi*, v. 269.

(2) Ex ep. inedita, f° 34 v°.

(3) *Heautont.*, v. 254.

(4) *Ibid.*, v. 879.

(5) Ex epist. ad Clamengium, *Ampl. Collect.*, n° XXXIV.

(6) *Adelphi*, V. 865.

(7) Ex epist. ad Gontherum Colli adversus Ambrosium de Milliis, quae inedita est, Cod., f° 75 v°.

(8) Epistulam antea ineditam vide in *Append.*, II, 7.

sed hoc ad id faciendum nos impulit, quod hos tres scriptores ante omnes alios menti impressos habuisse videtur. Horum tria nomina simul conjungere eum frequenter juvat, quasi in illis tota comprehendatur antiquitas. « *Tullius ipse ac Virgilius necnon Therentius ceterique tales* (1), » ait. De ceteris brevius dicemus, ita tamen ut nullius a Joanne laudati auctoris nomen omittamus, ejusque scientiam nulla ablata particula perpendendam proponamus. Hanc brevem recensionem non aliter quam ordine servato alphabeti fieri debere judicavimus.

AUFRANIUS.

Cur ita? Quia, ut inquit Aufranius :

Scorta placent fractique enervi corpore gressus
Et laxi crines et tot nova nomina vestis (2).

APULEIUS.

Valefaciam cum Apuleio, ut nos velis servare perseverantes in amore cognitionis tue (3).

CAESAR.

Nosti autem in *commentariis belli gallici* non sine experientia a Cesare dictum esse (4) apud Germanos nullam latrocinia habere infamiam, que extra fines cujusque civitatis fiunt atque ea juventutis exercende atque desidie minuende causa fieri predicant (5).

(1) *A. C.*, n° LXVII.

(2) Ex epist. ad Petrum de Alliaco, *A. C.*, n° XIV. — Pro *Aufranius*, non *Afranius*, sed *Petronius* legendum est, apud Petronium enim haec carmina leguntur, *De mut. reipubl. rom.*, 25-26. Nonnunquam in codicibus Afranii nomen Petronii Arbitri nomini adjungitur (vide Teuffel, *Gesch. der röm. Lit.*, 3 Ausfl., 305, 1).

(3) Ex ep. ined. ad Clamengium, Cod. Vat. 332, f° 68 r°.

(4) *Comm. de Bello Gallico*, VI, 23.

(5) Ex ep. ad Clamengium, *A. C.*, n° LIII.

Quoad tuam de ingeniis Gallorum in poeticis depressionem, non tecum, sed cum Julio Celso (*sic*) potius convenio qui ipsos summe sollertie fore asseveravit et ad omnia aptissima atque imitanda et efficienda ingenia habere in commentariis belli gallici autentissime (*sic*) testatus est (1).

Cato.

Quoniam ab Italia Cato censorinus (*sic*) et Varro de *Agricultura*, necnon de *Architectura* Viturinus (*sic*) et simul senex Plautus michi missi sunt et allati, quos, ut verum fatear, nescio apud alium quemquam citra montes existere, ne apud collegium (2) quidem, et vos sciam talium amantissimum, illos vobis offero ut transcribi faciatis, ita tamen quod mandetis tanquam oculi pupillam conservari. Habeant sua regna reges, suas divitias divites, ut idem inquit Plautus, talia ego quoad vivam precipue venerabor (3).

Claudianus.

Sed ita est, pater reverende, error unus alium provocat facilime, et ut inquit Claudianus : *suadet licentia luxum* (4).

Florus.

Et quanquam Anneus Florus dicat Octavianum tot habuisse victorias ut triumphos posset contemnere (5).

De illo quoque qui dominus fuit urbis et orbis et quem Florus refert tot habuisse victorias ut triumphos posset contemnere, non facile discernitur apud priscos calamitosior an beatior fuerit (6).

Gellius.

Quod si ad particularia circa hec descendamus, Agellius (*sic*) refert ex causatione solius sensus visus Platonicos, Stoicos et Epycureos

(1) Ex ep. ad Laurentium de Primofato inedita, Cod., f° 65 r°.

(2) Scilicet Collegium Navarrae.

(3) *A. C.*, n° LXVI.

(4) Ex epist. ad Joannem Gersonem, inedita, Cod., f° 86 v°. — *De IV cons. Honorii*, 263.

(5) Ex *epilogo gestorum Caroli Magni*, Cod., 1ª.

(6) Ex epist. inedita ad Clamengium, Cod. Vat. 332, f° 56 v°.

sic differre, ut quod una sectarum assumit, alia inficiat causas omnino contrarias pretendendo (1).

Horatius.

Multaque renascentur que jam ceciderunt (*sic*) cadentque que nunc sunt in honore vocabula, attestante Oratio (2).

O expertissime ethice Orati, quanto cum misterio prima tuorum queris sermonum satyra :

Ut nemo quam sibi sortem
Seu ratio dederit seu sors objecerit, illa
Contentus vivat, laudet diversa sequentes (3) !

Quanquam noverim, eruditissime vir, Flaccum Oratium omnem hominem in personam sui Minucii (*sic*) hoc modo instruxisse :

Nil admirari prope res est una, Numici,
Solaque que possit facere et servare beatum (4)...

Jamque fere mediam celi nox humida metam
Contigerat, placidam laxarant membra quietem,

Cum terque quaterque, vir elegantissime, michi in somnis ecce apparuit non Therentius ille qui currum Scipionis Africani pileatus servitutis sublate insignium secutus est, sed is quem Firmianus nobilem poetam vocat et artificiosum, Oratius (5).

Justinus.

Ligurgi (*sic*) e legibus leges credo decem excerpit Justinus in epythomate (*sic*) Trogi, prout tue sedulitati non ambigo notum esse (6).

Juvenalis.

Tandem grecum proverbium illud notemus a Boetio, ut non igno-

(1) Cod., f° 154 r°.
(2) Ex ep. ad Clamengium, *A. C.*, n° XV. — Horat. ars poet., 70.
(3) Cod., f° 116 r°.
(4) *A. C.*, n° LXX. — Horat. epist., I, 6.
(5) Epistula in *A C.* edita, n° XLI.
(6) *A. C.*, n° XL I.

ras, memoratum : *nothis elithos* (sic) ; quod quidem oraculum Juvenalis divinam et celestem sententiam appellat propter summam utilitatem que in illa continetur : *E celo* enim *descendit nothis elithos* (1).

T. Livius.

Existimo, vir insignis ac domine percarissime, jamjam vestre notioni esse perductum scribarum seu scriptorum vestrorum alterum ab exemplaribus meis Titum Livium pro vobis transcripsisse. O utinam hactenus omnes qui poterant et eorum fuerat officium eundem Livium ceterosque historiographos et auctores, quemadmodum vestra nobilitas eos colit, amavissent! Non enim ipsius Livii tanta portione nec ceterorum doctorum venerabilissimorum scriptorum maxima congerie careremus (2).

Vale et tibi tantum proficiat Titus tuus nobis quantum nostrum, ut dicis, Tullium, optaremus (3).

Lucanus.

Cui non dissentit Lucanus ubi post multa eis improperat scelud (*sic*) illud : *ibi fas ubi maxima merces* (4).

Quorum mores non ignorabat Lucanus cum cecinit :

Nulla fides pietasque viris qui castra sequuntur,
Venalesque manus : ibi fas ubi maxima merces (5).

De ipsis ita Lucano dicente : *ignoti Judea Dei* (6).

Lucretius.

Illeque est (Epicurus) de quo disertissimus poeta Lucrecius ait :

Ethereus sol
Veridicis hominum purgavit pectora dictis (7).

(1) *A. C.*, n° XXXIX. Juvenalis, satir. XI, v. 27 :
E caelo descendit Γνῶθι σεαυτόν.

(2) *A. C.*, n° LXVI.

(3) Ex epist. inedita, Cod., f° 77 v°.

(4) *A. C.*, n° XLI.

(5) Ex ep. ined. ad Joannem Muretum, Cod., f° 95 v°. — *Phars.*, X, 407-409.

(6) Ex ep. ined. ad Clamengium, Cod. Vat., f° 57 r°. — *Phars.*, II, 593, ubi *incerti* non *ignoti* legitur.

(7) *A. C.*, n° LXX. — *De nat. rerum*, VI. 24.

Macrobius.

Verum est quod Virgilius ait : *Quisque suos patimur manes...* ut non frustra quosdam philosophos ac poetas scias hunc mundum inferos vocavisse, et omnia que illic esse fabulosa, ut inquit Macrobius, credidit suasio, in ipsis humanis corporibus assignarunt (1).

Ovidius.

Hec omnia, frater amantissime, huc redeunt ut redeas, et cum Nasone :

Nil michi rescribas, attamen ipse veni.

(Adde alia Ovidii carmina allegata infinitis ferme locis.)

Persius.

Tuque, Flacce Orati, Juvenalis et Persi, vosque satirici omnes (2).

Familiares tuos illum principem rethorum Ciceronem, heroicum Maronem, comicum Therencium, Senecam in tragediis ac liricum Oratium et Persium satiricum adito (3).

Petronius.

Jam taceat qui ait Petronius : *irata virtus abditur*. Immo vero, Petroni, super candelabro posita est (4).

Plautus.

Vale et quid in illo Cluniacensi egeris cenobio scriptis intimato, nec obliviscaris transcriptionem Plauti senis (5).

(De codice Plauti ex Italia misso vide supra sub Catone.)

Pauperrimum quondam senem officii debito vilia propalantem, meum ecce, vir insignis, Plautum mittens, de eximiis e regione scribentem Suetonium juxta proloqunta posco tuum; quod si correctus ille Valerius comitaretur perplacidum michi foret (6).

(1) *A. C.*, n° LII.
(2) Ex ep. ined., Cod., f° 28 r°.
(3) Ex ep. ined., Cod., f° 125 v°.
(4) *A. C.*, n° XIV.
(5) Ex ep. inedita, Cod., f° 88 v°.
(6) *Id.*, *ibid.*, f° 107 r°.

Plinius (C. Caecilius).

Nichil profecto, vir egregie, scriptis quibusdam tuis Ambrosio de Miliis Mediolanensi directivis, meo die hesterno fortuitu prospectui exhibitis, video appositius quid dicendum quam illud Plinii Secundi ad Nonium : *maximum*, *pulcrum*, *validum*, *acre*, *sublime*, *varium et elegans* (1).

Quintilianus.

Verum est enim, crede michi, frater carissime, quod Quintilianus ait : Cito scribendo non fit ut bene scribatur (2).

(Adde alia multa loca.)

Sallustius.

Istud, inquam, ad animum spectat, id ad corpus et nos juxta Salustium animi imperio corporis servitio magis utimur (3).

(Adde alia multa loca).

Seneca.

Tollerabis denuo mea prece a te queri quid sencias de tam agrestibus sequentibus judiciis in moralibus Ciceronis ac Senece, quorum primus in Tusculanis questionibus ait..., secundus ad suum Lucilium scribens vecordis esse dixit hoc in mundo molestia pati, cum homo per ministerium parve cuspidis valeat se a tantis miseriis subito eximere (4).

(De tragoediis Senecae vide supra sub Persio.)

Probus insuper et bonus iste socius (Ambrosius de Milliis) me inydoneum nec capacem epistolarum ejusdem Senece sua invectione confirmat. At vero e regione ipsum scio illarum amantissum et rapacissimum, nec alias nisi quam me vivere eum novi epistolas ipsas clam furtimque ab conventu quodam subtraxisse et subripuisse, in quo fide optima et honestatis respectu ab abbate et thesaurario loci et una mecum ostendebatur bibliotheca. De quo cum ex post

(1) *A. C.*, n° LX. — Plinii epistulae, IV, 20.

(2) Ex ep. ined., Cod., f° 56 v°.

(3) Ex ep. inedita, Cod., f° 42 r°. — *Catil.*, 1.

(4) *A. C.*, n° LXX.

redarguerem ferremque molestissime, aiebat : « Non curate, nichil istis profuissent monachis ; michi autem sunt utiles (1). »

SOLINUS.

Igitur ad externa perparum redeamus et que Julius Solinus de Cesare dictatore pro nostra materia his verbis scribit adiciatur : Quantum inter milites Sicinnius aut Sergius, tantum inter duces, immo ut verius dicam, inter omnes homines Cesar dictator enituit (2).

(Adde alia loca plura.)

SUETONIUS.

(Non nominatur nisi in loco supra de Plauto allato).

STATIUS.

Porro ut Stacius asseruerit esse legati quondam nomen per secula sanctum (3).

TACITUS.

Justinus quoque nec non antiqui ceteri sapientes eos (Judaeos) quisque sua sententia, ut legimus, variis modis damnant, inter quos Cornelius Tacitus super decem plagis Egipti de Judeis hoc modo fatur : et id genus hominum ut invisum Diis alias in terras ire jussum est (4).

VALERIUS MAXIMUS.

O Maxime Valeri, librum qui causis ex levioribus inter memoranda tua gravis plane sententie edidisti ! (5).

(Adde quae supra de codice correcto Valerii sub Plauto transcribuntur, et alia multa loca in epistulis.)

VARRO.

De quibus quidem Judeis sepe miratus sum Varronem, qui supra

(1) Ex ep. ined., Cod., f^os 71 v° et 72 r°.
(2) Ep. ined., Cod. Vat., f° 57 v°.
(3) *A. C.*, n° XXXVI.
(4) Ex ep. ined., Cod. Vat. 332, f° 57 r°. — Taciti *Hist.*, V, 3.
(5) Ex ep. ined., Cod., f° 28 r°.

omnes latinos de ortu rerum ac gentium genealogiis scripsit latissime, nullam mentionem, verbum nullum fecisse neu de Noe nec de Adam, a quibus tamen nemo non traxit originem, id tradentibus nobis litteris celestibus, cum maxime Varro ipse, quo nullus vixit doctior, ne apud Grecos quidem, Lactantio teste, assentiente Augusto nec contradicente Cicerone, de Phetonte, Promotheo (*sic*), Deucalioneque et Ogigo (*sic*) ac prioribus viris omnibus insignibus non preterierit sub cujusque temporum ac gestorum insinuatione magnā loqui (1).

(De codice operis *De Agricultura* vide supra sub Catone.)

VITRUVIUS.

(De codice *De Architectura* operis vide supra sub Catone.)

Superest ut breviter dicamus quid in studio antiquorum quoad stylum et elocutionem Joannes de Monsterolio profecerit. Si quis eum cum Mediae Aetatis ac praesertim duorum superiorum saeculorum scriptoribus comparaverit, magnis non injuria eum efferre laudibus poterit; sin autem ad italicos jam illius aevi, Colutium, Poggium, Leonardum Aretinum, vel ad gallicos saeculi sexti decimi scriptores qui latina lingua usi sunt animum attenderit, eum gravissimis abundare vitiis fatebitur. Siquidem diuturnae noctis tenebras abigere unus dies, longa ignorantia deformatam depravatamque linguam latinam in pristinam restituere sinceritatem unus homo non potuit.

Barbare scribit, ut Medii Aevi moris erat, *michi*, *nichil*. Diphthongos *oe* et *ae* jam diu obsoletos penitus ignoravit. Barbaris vocibus uti non semper horruit, ut *viagio* pro *itinere*, *guerra* pro *bello*, et aliis similibus.

(1) Ex ep. ined., Cod. Vat., f° 57 r°.

Quot locis *quod* pro *ut* et indicativum pro subjunctivo modo posuit! Adde quod eum multorum verborum vera fefellit significatio : *epilogo* pro *epitome* utitur, *imitatorem* eum vocat non qui imitatur, sed quem alii imitantur, etc.

Quid plura? Multa apud eum remanserunt recentis barbariae vestigia. Dum auctores antiquos laudat, amat, colit, eos imitari ad unguem non potest :

> Video meliora proboque
> Deteriora sequor.

De graecarum litterarum apud eum studio vix dicendum videtur. Quod de Platone aut Aristotele passim locutus est, apud Latinos, apud Ciceronem praecipue semper nactus est. Linguam graecam in Gallia nulli adhuc docebant (1). Non habuit ergo unde disceret Joannes noster, neque ei vitio danda sunt quae de ea temere dixerit. *Amnestiam* interpretatur concordiam (2), et insigne illud γνῶθι σεαυτὸν quod in depravatis codicibus apud Juvenalem et Boetium legerat sic imperite litteris latinis transcribit : *nothis elithos* (3)!

(1) Concilio Viennensi anno 1311 sancitum est ut essent in universitate Parisiensi qui graecas et hebraicas litteras docerent. Sed eminentissimus vir C. Thurot putat non ante 1455 fuisse qui hebraicam neque ante 1457 qui graecam linguam docerent (*De l'organ. de l'enseignement dans l'Université de Paris*, p. 85). Ex epistula quadam Joannis nostri hoc de hebraica lingua non parvi momenti erui documentum, quod ad annum 1417 spectat : *Non possum non mirari audivisse a quodam moribus gravi et etate neophito judeo in hebrayco, ut aiunt, peritissimo, ita ut ab universitate Parisiensi salario publico donetur ad docendum scolasticis hebraycum certis horis*... (Cod. Vat. Reg. 332, f° 57 r°).

(2) Cod., f° 48 r°.

(3) Vide supra, p. 72.

CAPUT QUINTUM.

DE STUDIO LITTERARUM LATINARUM IN GALLIA APUD JOANNIS DE MONSTEROLIO AEQUALES.

Ex iis quae supra explicavimus, manifesto liquet Joannem de Monsterolio auctoribus antiquis eo ardore studuisse, ut non immerito nomen ejus nominibus Petrarcae, Boccatii, Colutii Leonardique Aretini sociandum videatur. Sed dimidium tantum propositi operis absolutum haberemus, si de ejus aequalibus sileremus, aut si quis illos a studiis ejusmodi plane abhorrentes reputaret. Hoc superest ut probemus, circa aut pone Joannem de Monsterolio nonnullos in Gallia fuisse viros qui iisdem, ut ita dicam, sacris uterentur, qui eum ad studium antiquitatis seu exemplo concitarent seu imitatione comitarentur.

Res longa difficilisque et haud scio an supra vires nostras esset, omnium Joannis de Monsterolio aequalium opera plerumque inedita recognoscere, omnia ex illis loca de antiquitate excerpere, eaque perpendere atque interpretari. Id fecimus cum de Joanne nostro ageretur, ut titulo quem ei praeposuimus opusculum nostrum

consonaret. Aequalibus Joannis paulo minus praestare et possumus et debemus. Pauca de uno quoque verba facere satis erit, quae propositum nostrum juvare videantur.

Christina Pisana.

Nata Venetiis anno MCCCLXIII, in Galliam cum patre, a Carolo quinto vocato, anno MCCCLXVIII venit, ibique degit et non ante annum MCDXXIX mortua est. Multa opuscula cum prosa tum carminibus gallicis scripsit. Latinam linguam procul dubio noverat, et Ciceronis, Senecae aliorumque romanorum scriptorum sententiis, ultra etiam quam satis erat, scripta sua refersit. Familiarem consuetudinem cum Joanne nostro habuit, etsi ingenio dissimillima. Fabulam Rosae poeticam a Joanne summis laudibus praedicatam magno impetu impugnavit (1) ; et secum egregium Parisiensem cancellarium Gersonem habuit. Spretam Rosam aegre tulisse Joannes noster videtur, et de Christina his verbis parum benignis, ne dicam indecentibus, ad quendam amicum suum scribit :

Ut sunt mores hominum et affectus varii, dicam sinistra judicia; audies, vir insignis, et videbis pariter in contextu cujusdam mee rescriptionis in vulgari quam inique, injuste et sub ingenti arrogantia nonnulli in precellentissimum magistrum Johannem de Magduno invehunt et delatrant, precipue mulier quedam nomine Cristina, ut dehinc jam in publicum scripta sua ediderit, que licet, ut est captus femineus, intellectu non careat, michi tamen audire visum est Leun-

(1) Vide supra, pag. 42.

cium grecam meretricem, ut refert Cicero, que contra Theofrastum philosophum tantum scribere ausa fuit (1).

Gontherus Colli (2).

Ad eum multae cum Joannis nostri tum Nicolai de Clamengiis exstant epistulae. Natus est in urbe Senonica, ut ex epistula Clamengii accepimus (3), et Aureliani studuit, ut e verbo Joannis conjicere licet (4). Regi Francorum necnon duci Bituriae ab epistulis fuit, crebrisque legationibus functus est (5). Haec de illo in epistula quadam Joannis de Monsterolio proposito nostro egregie congruentia legimus :

Sed rursus peto a te, Gonthere, ne lateas. Quis me primum in Abbatisvilla, anni bis duo vel eo circa sunt effusi, monuit ut studerem? Quis verbo pariter et exemplo indidit occasionem? Gontherus. Quis regis secretariorum indesinenter quocumque ierit libros ac specierum diversarum volumina, ne tempus nequicquam tereret, secum tulit? Gontherus. Quis, inquam, insatiabiliter disputare atque loqui que ad eloquentiam pertinerent voluit? Gontherus. Quis demum scientificos undecumque prosilierint in arte hac direxit, fovit, promovit et dulci amplexus est nexu? Gontherus (6).

Ita enim res se habent. Quamvis nullum nobis studii sui monumentum ipse reliquerit Gontherus, eum stu-

(1) Ex ep. inedita, Cod., f° 107 v°.

(2) Vide de eo pauca verba in *Nouv. Biogr. gén.*, sub Col.

(3) Cod. 13060, f° 129 v° : « Ecce enim intra sex proximos instantes dies binos de urbe Senonica, *unde lucis tibi fluxerunt exordia*, commissarios expecto. »

(4) Cod., f° 102 r° : « An Aurelianis hec discuntur, ut reus ad actoris libitum sese regat? »

(5) Vide Rymerum, VIII, 525, 593, etc.

(6) Epist. inedita, Cod., f° 115 r°.

duisse et in libris colligendis se delectasse novimus. Libros patrono suo duci Bituriae dono obtulerat (1). Exstat Clamengii ad eum epistula, ex qua Gontherum apud se Plinii Secundi epistulas habuisse discimus, quarum exemplaria adeo in Gallia tum rara erant ut in ipsa summi pontificis bibliotheca desiderarentur, et ipse Clamengius nusquam alibi eas vidisse nisi apud Gontherum confiteretur (2).

Ut vita, ita morte Gontherus Colli Joannesque de Monsterolio conjuncti sunt. Occidit Gontherus, ut Joannes, a Burgundionibus trucidatus, anno MCDXVIII, mense junio (3).

GUILLELMUS FILIASTER.

E Cenomanensi dioecesi ortus, Guillelmus Filiaster (4) anno MCCCXCII decanus Remensis ecclesiae factus est, et anno MCDXI a Joanne XXIII summo pontifice cardinalis creatus est (5) : mortuus est Romae et apud sanctum Chrysogonum sepultus anno MCDXXVIII. De eo ita Ciacconius : « In mathematica versatissimus necnon linguae graecae peritus Platonis libros latinos e graeco reddidit. Pomponium Melam notis illustravit et praefa-

(1) Vide L. Delisle, *op. laud.*, I, 60.

(2) Epist. Clamengii, nº 38.

(3) Sauval, *Antiq. de Paris*, III, 304 : « Maison qui fut a maistre Gontier Col, occis à Paris, sise rue vieille du Temple, tenant à la ruelle au roi de Sicile, laquelle Jean Spifame, escuier, dit lui appartenir à cause de sa femme, fille dudit maistre Gontier. » Vicina ergo domus Gontheri domui Joannis erat.

(4) Vide de eo Haureau, *Hist. litt. du Maine*, 2ª ed., IV, 219.

(5) Hic est cardinalis Sancti Marci de quo in epistula Joannis ad cardinalem Florentinum mentio facta est ; vide supra, p. 32.

tionem adjecit (1). » Versatissimum quidem eum in mathematica fuisse ipse testatur Joannes de Monsterolio ad eum scribens, dum eum ab ejus modi studiis avertere conatur, exemplumque cancellarii Parisiensis proponit ad sacram praedicationem intenti : « Hec pro tanto sunt pretensa, vir spectabilis et consideratissime, ut tu etatis ditissimus et capacitatis immense circa actores quorum pro cognitione hujus rei opus est visione plus aliquanto versareris, relictis vel suspensis ad tempus quam multis que mathesim magis respiciunt et in opinione consistunt ac delectatione quam ad bene beateque vivendum introducant (2). » Linguae autem graecae eum fuisse peritum Platonisque opera in latinam linguam transtulisse, nec verum nec verisimile est. Constat saltem eum Ptolemaei *Cosmographiam*, jam a Jacobo Angelo latinam factam, notis illustrasse (3), quo antiquitatis studiosus fuisse probatur.

Jacobus Magnus.

Is Tolosae natus (4) ordinemque fratrum eremitarum ingressus vehementissimus orator evasit. Coram rege Carolo sacram contionem pluries habuit, Joannemque de Monsterolio auditorem et admiratorem nactus est. Inde nostri ad eum plurimae epistulae, in quibus se

(1) *Vitae pontif.*, I, col. 807.

(2) Epist. inedita, Cod., f° 129 r°.

(3) Vide de hoc R. Thomassy disputationem in *Bull. de la Soc. de Géographie de Paris*, 1842.

(4) Gallice Jacques Legrant.

ejus humillimum discipulum esse profitetur Joannes (1). In gallica lingua edidit *Le livre de bonnes meurs*, in latina autem operam cui titulum praeposuit *Sophologium*, in quibus multa ex auctoribus antiquis excerpsit.

JOANNES BREVISCOXA (2).

Pro Cicerone adversus Ambrosium de Milliis cum Joanne nostro, Joanne Gersone, Jacoboque de Noviano stetit Joannes Breviscoxa (3). Sermones ab eo habiti exstant, in quibus Ciceronis libri de *Officiis* et *Tusculanae disputationes* laudantur. Auctorum latinorum multos codices comparaverat : in codice Terentii quodam nec non in codice Ciceronis opuscula moralia continente (bibl. nat., lat. 17895 et 18440) haec inscripta fuit annotatio : *Dominus Jo. Breviscoxe legavit ecclesie Parisiensi.*

JOANNES GERSO.

Ab eruditissimo viro Thurot dictum est Joannem Gersonem Petrumque de Alliaco latinos auctores classicos eo modo novisse, ut plerosque illius aetatis scriptores superarent (4). Animadvertendum tamen est duos illos

(1) Eae praesertim quibus ea verba in principio sunt : *Debuisti* et *Magnis*. In priore Jacobum Joannes : *Virum magnum et fama et nomine* vocat.

(2) Vide de eo Haureau, *op. laud.*, III, 148. Gallice *Jehan Courtecuisse* vocatus est.

(3) *A. C.*, nº LIX : « Tandem vero cum huic (Ambrosio) sic devio diceretur, preter nostrum de Noviano et quamplures multiscios, duos illos sacris in litteris antistites et eloquentie sydera ecclesie Parisiensis, videlicet plusquam meritum cancellarium et alium cui Breviscoxe est nomen, altissimi judicii licet sit, jamjam contra eum perhibuisse testimonium... »

(4) *De l'organ. de l'enseign. dans l'Univ. de Paris*, p. 83.

eminentissimos viros, ad theologiam intentos, quod attinet ad stylum parum curavisse ut antiquos auctores imitarentur. Antiquos procul dubio noverant; sed hoc potius aetati suae debuisse mihi videntur, quam proprio et peculiari studio conquisivisse. Etsi in aliis Joanne de Monsterolio (qui eorum discipulus esse fatetur) multo majores sunt, in hoc saltem antiquitatis cultu Joannes noster eos longe antecellit.

JOANNES MURETUS.

Summis pontificibus Avenioniensibus ab epistulis fuit, ad quem cum Joannis de Monsterolio tum Nicolai de Clamengiis plurimae exstant epistulae. In codice Titi Livii quodam (bibl. nat., lat. 5740) haec inscripta est annotatio : *Iste liber est magistri Johannis Mureti, domini nostri pape secretarii, datus sibi per sancte memorie dominum Clementem papam septimum anno domini* 1393 (1).

LAURENTIUS DE PRIMOFATO.

Is e dioecesi Trecensi, e loco *Premierfait* (2) dicto, oriundus, Lutetiam venit, ibique assidue degisse videtur (3). Poetae et oratoris eximii nomen sibi ab aequalibus suis conciliavit (4), etsi in codicibus quae nunc

(1) Hic codex postea Joannis Breviscoxae fuit.

(2) Canton de Mery-sur-Seine (Aube).

(3) Vide de eo *Paris et ses historiens au quinzième siècle*, par Tîssandier et Leroux de Lincy, p. 412-415.

(4) Vide in *App.* descriptionem codicis 13062. Eodem modo Guilebertus Metensis cum gallice *maistre Lorent de Premier fait le poete* vocat (Tissandier et Leroux de Lincy, loc. laud.).

exstant neque orationes neque carmina, sed translationes tantum ei adscribuntur. Joanni de Monsterolio amicitia conjunctus est, et eodem anno decessit. Decem leges Lycurgi a Justino in epitome Trogi Pompeii excerptas in porticu domus suae inscribi fecerat Joannes; in eum tum Laurentius est invectus, objurgans quod leges Lycurgi praeceptis evangelicis praeferre videretur, eumque a profanis ad sacras litteras revocare conatus est. Pro Lycurgo ardenter pugnavit Joannes, nimiamque Laurentii religionem haud scio an jocosius quam decuisset deridere non timuit :

> Perquam satis michi fuerit, Laurenti, horas suo tempore psallere canonicas, et ecclesiasticis insistere obsequiis institutis (obmissiones suppleat utinam indulgeatque Deus, qui si severius mecum agat, scio confiteorque quod pessime michi esset). Tu vero quoad voles orabis aut Apocalipsim contemplaberis, prophetas vitasque patrum vel cantica, agros tuos et pecudes prorsus negligendo ac avenarum excussionem tuarum, immo si libuerit esum pretermittes (nil impedit prepositus) atque potum (1).

Neque injuria tamen Laurentium irridere Joannes poterat; quod enim in amico vituperare videbatur, ipsi illi profanarum studio litterarum toto penitus pectore indulserat Laurentius. Ciceronis *De Amicitia* et *De Senectute* libros in gallicam linguam transtulit, operamque suam Ludovico, Borbonesii duci, dedicavit. Transtulit idem Joannis Bocatii librum *De casibus nobilium virorum et feminarum*, in quo de antiquitate profana assiduus sermo est, et denique, quod minime praeceptis evange-

(1) *A. C.*, nº XLVII.

licis consonare videtur, ejusdem Bocatii librum cui titulus est *Decameron*.

Nicolaus de Clamengiis.

Clamengii clarius nomen est quam ut virum multis verbis laudare opus sit, longior tamen et rebus prosperis adversisque magis implicata vita, quam ut paucis explicari possit verbis. Multa incerta, multa obscura de eo sunt, quae si debuerim, non possim, nec si potuerim debeam illustrare (1).

Canonicus Insulensis fuit, unde ansam habuisse videtur ut Joannem nostrum cognosceret cognitumque perenni amicitia prosequeretur (2). Lutetia profectus ut Avenionem ad Benedictum XIII summum pontificem se conferret, apud remanentem amicum longum sui desiderium reliquit. De hoc discessu longo post tempore in quadam epistula loquitur Joannes :

Contigerat michi sua bonitate et gracia et nescio quadam studiorum similitudine, fructuum tamen quantitate dispares (*sic*) ille Nicolaus nomine dictus de Clamengiis magisterio artium liberalium ac sacre theologie bachalariatus gradu non abs re insignitus, utique morum honestate corruscus, benignissimus et affabilis ac modestus, et ut Boetius ait, vir totus ex sapientia et virtute factus, et cum Therentio,

(1) Levi admodum momento aestimandus est liber Ad. Müntz cui titulus est : *Nicolas de Clemanges, sa vie et ses œuvres* (Strasbourg, 1846). In eo de Joanne nostro facta est mentio hoc modo : « Nicolas de Clémanges dans une lettre à son cher *Monstrelet !!* » (p. 11). Utinam aliquis de Nic. de Clamengiis vita et operibus Galliam condigno libro donet !

(2) In epistula ad Galeottum cardinalem Joannes ait : « cujuscemodi rescriptum concanonicus meus in Insula et quem loco germani complector magister N. de Clamengiis michi ostendit » (Ep. ined., Cod., f° 63 r°).

ut nichil supra. Sed nescio malo omine quodam meo, cum eo dum proficere ceperam, est michi arreptus et in curia vobiscum degit; qua in re, confidentissime frater, ut verum fatear, vel curiam huc ad eum venisse aut illuc non iisse... maluissem (1).

Dum in universitate Parisiensi fuit Clamengius (quam anno MCCCXCIII rexit) Ciceroni et Quintiliano ita studuit, ut inter suos aequales longe eloquentissimus fieret (2). Ipse in epistula ad Gontherum Colli non injuria gloriatur quod in Gallia litteras eloquentiamque in antiquum honorem restituit. Sed postea ad opera sanctorum patrum legenda totus conversus est, ita ut eum studii in adolescentia habiti quasi poenituisse videatur.

Duo optimi codices Horatii et Martiani Capellae, qui Clamengii quondam fuerunt, studium ejus in antiquas litteras hodie etiam testantur (3).

Petrus de Alliaco.

Vide ea quae supra dicta sunt de Joanne Gersone.

(1) *A. C.*, nº LX.

(2) Ibi Aristotelis et Ciceronis rhetoricas artes legisse et docuisse eum injuria affirmat Voigt, ex loco epistulae ejus ad Galeottum cardinalem sic allato : *Equidem in studio Parisiaco sepe Tullianam publice legi rhetoricam, sepe item privatim, nonnunquam etiam Aristotelicam.* Sincerus autem locus apud Clamengium ita se habet : *Vidi ego in studio Parisiaco sepe Tullianam publice legi rethoricam*, etc.

(3) Bibl. nat., Cod. 7977, ubi leguntur ea verba : *Libri omnes Oratii de dono magistri Nicolai de Clamengiis*; et Cod. 8674, ubi ea leguntur : *Commentum Remigii super librum Marciani Capelle de nupciis Mercurii et Philologie et super septem artes liberales ejusdem, de dono magistri Ni. de Clamengiis.*

CONCLUSIO.

De studio litterarum latinarum sub Carolo VI in Gallia restituto, duo, ut concludamus, quaerenda videntur : primo utrum studium hoc in Gallia sponte natum fuerit, an aliunde originem duxerit, tum deinde quam ob rem tam cito evanuerit ut vix ullam sui memoriam subsequenti aetati reliquerit.

Quod ad priorem attinet quaestionem, studium hoc ex Italia in Galliam transiisse arbitror. Conjunctissimum enim commercium inter Gallos et Italos per totum illud saeculum quartum decimum fuit. Translata Avenionem pontificum Romanorum sede, Avenionem multi Itali se contulerunt. Hic diu Petrarca vixit, omnium qui ad antiquitatem restituendam operam dederunt sine dubio princeps; hic cum eo amicitiae foedere junctus est Petrus Berchorius, qui animos gallicos ad studium veterum primum incitavit. Petrarcae et Bocatii nomina in Gallia non minus ferme quam in Italia clara facta sunt : Petrarcam Joannes de Monsterolio laudat, perinde ac si unus ex antiquis romanis auctoribus fuisset (1) ; Colu-

(1) In ea praesertim epistula cui principium est : *Devotissimi* (*A. C.*, nº XXXVIII).

tium Petrarcae discipulum non minoribus effert laudibus, seque ejus disciplinae alumnum summa reverentia profitetur (1). Nec longo Ecclesiae schismate Italiae Galliaeque commercium videtur esse interruptum. Tum nova cum Mediolanensibus, cum Januensibus, cum ipsis etiam Florentinis foedera juncta sunt : anno MCCCLXXXVII Ludovicus, regis Caroli VI frater, filiam ducis Mediolanensis Valentinam duxit; anno MCCCXCVI Januenses se in ditionem regis Francorum tradiderunt. Hinc multorum Gallorum in Italiam legationes : jam anno MCCCXCV Joannem de Monsterolio Italiam percurrisse certum est, qui haud scio an anno MCCCLXXXV cum Milone episcopo Bellovacorum eandem regionem peragraverit. Hinc etiam Italorum in Galliam itinera et saepius in eadem diuturna mansio : Mediolanensis erat ille Ambrosius de Milliis quem Lutetiae degentem vidimus; ducis Mediolanensis cancellarius erat ille Andreas de Arisiis qui, ut Colutius ipse affirmat (2), moram in Gallia continuam trahebat, quique auctorum veterum adeo studiosus erat, ut rumor ad Colutium pervenisset eum in Gallia codicem integrum Quintiliani reperisse (3).

Quaestio altera facile solvitur. Dum res publica gallica floreret, sub Carolo quinto et sub filii ejus prioribus annis, Gallorum animi ad studium intenti Italicis aemulati

(1) Vide in *Appendice* epistulam Joannis ad Colutium, et ibidem Colutii ad Joannem.

(2) Vide *App.* III.

(3) In codice lat. 16674 haec annotatio inscripta est : « Hunc librum Verrinarum Tullii dedit facundus vir Andreas de Arisiis natione Lombardus, ambassiator et secretarius domini ducis Mediolanensis collegio de Sorbona ut poneretur in magna libraria » (L. Delisle, *Le cabinet des mss.*, II, 143).

sunt : sed brevioris spatii aetas fuit. Mox Aurelianensi duce trucidato, omnia in re publica turbantur : civilibus odiis Gallia laceratur, hostili irruptione prosternitur. Lutetia Parisiorum, studiorum olim caput, caput belli factum est; discordiis miscetur et sanguine civili foedatur. Quis studere posset, cum uni cuique bona, status, vita in ancipiti essent? In hac rerum turbatione occidit antiquitatis studium, ante multos annos non resurrecturum. Irruptione Burgundionum, in qua et Joannes de Monsterolio et Gontherus Colli perierunt, factum est ut restitutio illa litterarum antiquarum quae jam fieri videbatur, centum ferme annis admodum sterilibus elapsis, in saeculum sextum decimum differretur.

APPENDICES

I

DESCRIPTIO CODICUM OPERA JOANNIS DE MONSTEROLIO CONTINENTIUM.

1. *Cod. Paris. Bibl. nat. lat.* 10920. — Membranaceus. Constat foliis 28. Fuit diligentissimi librorum manuscriptorum comparatoris Gaignières, in bibliotheca regia antea nº *suppl. lat.* 200 distinctus. Scriptus est satis neglegenter circa annum 1450. Continet Joannis de Monsterolio libellum latinum adversus Anglos. Incipit ut codex 18337. Deest caput cui titulus est : *quomodo Anglici...* Deest etiam prologus. Vide descr. codicis 18337.

2. *Cod. Paris. Bibl. nat. lat.* 10921. — Membr. Constat foliis 33. Fuit Gaignières supradicti, qui propria manu haec verba in folio 32º scripsit : *donné par M. l'abbé de Castres, le 21 octobre* 1709. Nitidissime scriptus est saeculo XVI ineunte. Primae litterae auro, minio et caeruleo colore pictae sunt. Continet Joannis de Monsterolio libellum adversus Anglos, prout est in codice

10920, id est sine ultimo capite et sine prologo. Notandi sunt hi versus inscripti in f° 32° :

Quare noveritis hec, sicut ab ore prophete :
Francia gaudebit, et flebunt Anglia regna ;
Lilia florebunt, leopardi dirripientur ;
Flammingus populus multus morietur in armis,
Nam quicumque suum dominum cum fraude relinquit
Perpetuam mortem debet de jure subire.

3. *Cod. Paris. Bibl. nat. lat.* 18337. — Membr. ; 0m,225 × 0m,16. Constat foliis 28. Antequam ad bibliothecam regiam deveniret, in bibliotheca cathedralis ecclesiae Parisiensis asservabatur, ut primo folio haec annotatio, saeculo XVIII inscripta, indicat : *A la bibliothèque de l'église de Paris*. Satis nitide scriptus est saeculo XV ineunte. Tituli rubricati, duae primae litterae rubro simul et viridi coloribus pictae sunt.

Continet Joannis de Monsterolio libellum adversus Anglos. Incipit folio 2° ab hoc titulo : *In hoc parvo tractatu, etc.* (Vide supra, p. 17). Desinit folio 22° , post caput cui titulus est : *Quomodo Anglici confiscaverunt ac perdiderunt antiquitus ducatum Normannie aliasque terras in regno Francie.*

II. Alia manu, in eodem folio 22°, scripta est Joannis de Monsterolio epistula quam, cum in ceteris codicibus non reperiatur, hic transcribere non ab re esse mihi visum est :

« Converti nenias meas ad magistrum Martinum de Sarbona (1), timens ne occupationibus tuis oneri advenirent ; ob id tamen benivolencia tua, suis sollicitudinibus suspensis in aliquo, non obmittet super questiunculis meis quibusdam, ad eundem magistrum Martinum latis per bajulum, cum eodem magistro Martino et ipse tecum hujus vestri communis discipuli compescere animum ac ei, ut facile vobis erit, quantum distet doctus ab indocto, a stulto sapiens vestris rationibus demonstrare, ita ut posthac ad aliquam super illis dubietatem aut mentis scrupulum non incidat. Valete et plaudite. Prepositus recensuit. »

(1) De illo Martino de Sarbona nullum aliud testimonium afferre possumus.

III. F° 22 v°, transcripta est epistula cujus principium est : *Quanquam noverim*, quam codices Parisiensis 13062 (f° 154) et Vaticanus (f° 1) ambo habent.

IV. F° 26 v° : *Perbrevis epilogus gestorum Karoli magni* (Vide supra, p. 14).

V. F° 27 v°. *In sophismate quod Anglici de jure pretenso ad regnum Francie faciunt, arguunt isto modo*... Hoc breve additamentum tractatui praedicto in nullo alio codice legi.

Notandum est, particulas quas sub titulis II, III, IV et V conclusi, ea manu esse scriptas, quae epistulas in codice 13062 a f° 140 usque ad 156 contentas scripsit. Eadem illa manus codicem epistularum Vaticanum integrum scripsisse mihi videtur, nisi codicis olim inspecti falsam imaginem memoria retinui. Codicem nostrum 18337 sub oculis ipsius Joannis de Monsterolio exaratum esse certum habeo. Contuli epistulam *quanquam noverim* accurate cum codice 13062 : multa in codice 18337 correcta sunt sive manu sive jussu auctoris, ut variae liturae indicant. Archetypi ergo 18337, apographi vero 13062 loco habendus est.

4. *Cod. Florent. Riccardianus* 443. — Membr. Constat foliis 100, quorum tria priora et duo ultima sine litteris remanserunt. Scriptus est et ornatus pereleganter circa annum, ut mihi videtur, 1480. In folio quarto et alibi passim pictum est stemma Budaeorum, inclitae familiae Parisiensis : *de sable au chevron de gueules, accompagné de trois grappes de raisin d'azur deux et un* (1).

(1) Idem stemma pictum est in codice Vat. Reg. 1933, qui hanc notulam in f° 88 habet : « Ce livre est a Jehan Budé, conseillier du roy, et audiencier de France. Fait le XXI^{e} de decembre, M. CCCC. IIII^{xx} VI. Bude. » Certum ergo mihi videtur, ejusdem Joannis Budaei cura et sumptu codicem nostrum Ricc. 443 scriptum fuisse. Hunc Joannem patrem habuit notissimus graecarum litterarum redactor ac reformator Guillelmus Budaeus, cujus nomen sic Joannis de Monsterolio nomini et operi conjunctum reperire juvat.

I. F° 4 r° : « *De gestis et factis memorabilibus Francorum.* Suas paucarum noctium..... Regali ex progenie..... » Haec duo opuscula, quae in hoc codice sine nomine auctoris leguntur, inter Joannis de Monsterolio epistulas locum obtinent. Ambo enim in codice 13062, transcripta sunt; codex autem Vaticanus 322 prius tantum continet (Vide supra, pp. 14-16).

II. F° 20 : « *Ad Gallicanos principes dissuasio belli civilis, cum gravium periculorum atque incommodorum inde secutorum expressione, N[icolai] de Cle[mengiis].* Ad vos nunc... » (Vide *Nicolai de Clemangiis opera omnia*, Lugduni Batavorum 1613, p. 169).

III. F° 32 : « *Epistola magistri Nicolai de Clemengiis de calamitatibus tunc temporis in regno Francie currentibus.* Quanquam semper... » (Vide ibidem epistulam LXVII).

IV. F° 47 (sine rubrica) : « Sentire cogor..... Scriptum anno Domini millesimo quadringentesimo XI°, feria tertia post *Invocavit.* » (Vide ibidem epistulam LVIII, quae est sine die, et significationem temporis codice nostro oblatam lucro appone).

V. F° 48 : « *Epistola magistri Alani ad regem Francie.* Christianissime rex..... » Haec epistula Alani cognomento Aurigae primum edita est a Joanne Lamio Florentino qui codice nostro usus est (*Deliciae eruditorum*, III, 164), nostris etiam diebus a D. Delaunay, qui editionem florentinam ignoravit, in libro cui titulus est : *Etude sur Alain Chartier.* Paris, 1876, p. 213.

VI. F° 54 : « *Epistola dicti magistri Alani ad universitatem Parisiensem.* Alma mater... » (Vide *Œuvres d'Alain Chartier*, 1617, p. 490).

VII. F° 57 : « *Epistola ad ingratum amicum per dictum Alanum Quadrigarium.* Maluissem tecum... » (Vide ibid., p. 488).

VIII. F° 61 : « *Epistola magistri Alani Quadrigarii ad Gallorum principes de bellis civilibus* : Usque quo dudum... » (Vide ibidem, p. 477).

IX. F° 79 : « *Alia epistola dicti magistri Alani super dictis bellis civilibus.* Francigene magni gens fortis et inclita bello..... » (Carmina sunt, quae inedita mihi videntur).

X. F° 80 : « *Epistola dicti magistri Alani ad Imperatorem. Illustrissime princeps...* » (Vide D. Delaunay op. laud., pp. 99 et 205, et nota codicem nostrum epistulam hanc celeberrimam, in qua de Virgine Aurelianensi agitur, ab Alano scriptam et ad Imperatorem missam esse procul dubio significare).

XI. F° 88 (sine rubrica) : « Quanquam in fidei causa... » (Vide D. Delaunay op. laud., p. 243).

XII. F° 95 : « *Epistola ad emulatorem per dictum Alanum.* Maledicta tua... » (Epistola inedita videtur).

Ultima verba codicis haec sunt (f° 98) : « *Hic inseruntur facta in latino famosissimi atque eloquentissimi poethe magistri Alani Quadrigarii, dum vivebat domini nostri regis secretarii et oratoris.* »

5. *Cod. Paris. Bibl. nat. lat.* 13062. — Membr.; 0m,29 × 0m,20. Constat foliis 164. Olim in bibliotheca regia sub n° *Harlay* 380 inscriptus. Fuit saeculo, ut videtur, decimo septimo, ignoti cujusdam possessoris qui haec in folio quodam chartaceo ad calcem voluminis adjecto inscripsit :

« Il y a au commencement du volume des lettres du roy de Navarre touchant le schisme.

Il y a aussi 200 épîtres de Jean de Monstrolio qui ne sont pas imprimées.

Cet autheur vivoit sous Charles 6; il avoit été secrétaire du dauphin, du duc de Bourgogne, et enfin il fut secrétaire du roy. Il étoit ecclesiastique possédant une prevôté et plusieurs prebendes. Il a été envoyé en plusieurs ambassades, en Avignon, en Allemagne, en Angleterre et en Escosse.

Ses lettres sont bien ecrittes pour le temps, son stile est fort net, il étoit instruit dans les belles lettres; cet étude commençoit en ce temps la : Clemengis et luy ont eté les premiers qui ont commencé à écrire dans les derniers temps avec quelque pureté. Il y avoit grande liaison entre eux deux, Clemengis luy a écrit 8 lettres, et on voit que cet autheur luy avoit procuré par le moyen de la regale quelques benefices ot qu'il le consultoit souvent.

Ses épîtres sont utiles pour plusieurs points d'histoire de ce temps la, pour le schisme, pour l'état de l'Eglise, pour la regale, pour le concile de Constance, pour l'Angleterre, l'Allemagne et pour la conduite de l'empereur Sigismond qui est maltraité dans une epître.

Il y a plusieurs epitres adressées au pape, aux cardinaux, aux evêques et a plusieurs personne de litterature.

Il y en a quelques unes sous le nom du roy.

On ne voit pas d'ordinaire a qui elles sont adressées, ny le temps precis auquel elles ont été écrites. »

Saeculo decimo octavo, antequam ad bibliothecam regiam deveniret, fuit illustrissimi domini Chauvelin, in supremo Parisiensi senatu praesidis; hic codicem D. Edmundo Martenio ut Joannis de Monsterolio epistulas selectas ederet gratiose obtulit.

Variae partes in codice distinguendae sunt.

I. *A folio* 10 *ad* 138. — Incipit ab epistula *Sine quo nil peragit* et epistula *Tametsi vir insignis* terminatur pars ista, qua sola codex noster primitus constitit. Omnes epistulae in hac parte inclusae, quarum numerus ad 190 ascendit, primam litteram capitalem caeruleo aut rubro colore in vicem pictam habent, et una eademque manu scriptae sunt. In capite cujusque epistulae spatium vacuum relictum fuit, ut nomina eorum, ad quos singulae missae fuerant, ibi inscriberentur; sed seu scriptoris neglegentia seu ipsius Joannis de Monsterolio consilio, maximo certe nostro incommodo, spatium ubique vacuum et sine litteris remansit. Codex iste a quodam Joannis nostri scriptore et quasi sub oculis ipsius auctoris exaratus videtur. Post Joannis de Monsterolio obitum non ita longo tempore, in manus cujusdam ignoti possessoris devenit, qui varias in marginibus notas inscripsit, circa annum, ut mihi videtur, 1460. Hic scholiastes, ut ita dicam, titulum in prima fronte voluminis praeposuit his enuntiatum verbis : *Epistole magistri Johannis de Monsterolio, principis illustrissimi domini Karoli VI*ti *Dei gratia Francorum regis secretarii, ad diversos scripte.* Idem paulo infra his Joannis nostri verbis : *ecce Baiocarum cantor dignissime*, notam hanc subjunxit : *Iste Baiocarum cantor erat magister Nicolaus de Clamengiis.* Ejusdem etiam nota haec, longe illa utilior, in f° 20 legitur : *Iste Laurentius cognomento de Primofato fuit poeta et orator eximius, decessitque Parisius anno Domini M°CCCC°*

X°VIII° in cimiterioque sanctorum Innocentium ibidem extitit inhumatus. Aliae ejusdem notae minoris pretii sunt.

II. *A folio* 1 *ad* 9. — F° 1° : *Perbrevis epilogus gestorum Karoli magni sua strenuitate ac regni Francie potentia quondam imperatoria insigniti majestate* ; prout in codice 18337. Sequuntur variae Joannis de Monsterolio epistulae cum privatae tum publicae, seu etiam orationes, quarum numerus ad 14 ascendit ; publicae quidem nullam mentionem habent diei aut loci quibus datae sunt, privatae autem nominibus eorum ad quos missae fuerunt omnino carent. Haec folia paulo post partem primam scripta videntur, vivente adhuc Joanne de Monsterolio.

III. *A folio* 140 *ad* 156. — Pars ista continet Joannis de Monstrolio epistulas octo, scriptas ea manu quae finem codicis 18337 exaravit, vivente adhuc Joanne nostro.

IV. *A folio* 157 *ad* 164. — Pars ista alia manu, ut mihi videtur, scripta, continet duo opuscula seu duas epistulas Joannis de Monsterolio : *Suas paucarum noctium* et *Regali ex progenie*, quae in codice Riccardiano, ut supra diximus, uno tenore transcribuntur. In margine folii 157 possessor quidam (alius atque ille cujus notas supra retulimus) haec verba scripsit : *Ex hoc videtur quod iste epistole fuerunt magistri Johannis de Monsterolio, prepositi Insulensis ac domini Karoli VI^ti^ Francorum regis secretarii, quas mittit corrigendas magistro Johanni de Jarsonno cancellario Parisiensis ecclesie. Qui quidem Johannes de Monsterolio obiit Parisius mense junii M°.CCCCXVIII°, eo scilicet tempore quo gentes ducis Burgundie intraverunt urbem Parisiensem.*

6. *Cod. Romanus Vatic. Regin.* 332. — Membr. ; $0^m,25 \times 0^m,175$. Constat foliis 76. Fuit quondam diligentissimi librorum manuscriptorum comparatoris Pauli Petavii († 1614), qui eum in bibliotheca sua hoc signo *G* 51 distinxerat, et has notas in primo folio inscripsit, in parte superiori :

« Secunda pars epistolarum magistri Johannis de Monsterolio præpositi Insulensis. »

In parte autem inferiori haec ejusdem manu leguntur :

« Petavius.
» οἷς ἀτυχῶ, λίαν εὐτυχῶ.

» Ad hunc Johannem de Monsterolio præpositum ecclesiæ sancti Petri
» de Insula, regis Francorum secretarium, plures sunt Nicolai de Cla-
» mengiis epistolæ.

» Dans la vieille chronique Martiniaine imprimee a Paris en grand vo-
» lume f. 254 v. il y a un traicté de cestuy Jehan de Monstreuil prevost de
» Lisle des droictz pretendus par les roys d'Angleterre au royaume de
» France, dédié a M. le daulphin de Viennoys et composé l'an 1416 en sep-
» tembre comme appert f. 263 v. et col. 4. »

Distinguendae sunt in hoc codice partes duae, quae fortuito casu simul compaginatae sunt.

I. *A f° 1 ad 71*. — Haec prima pars codicis editionem alteram epistularum Joannis de Monsterolio continet, quarum numerus ad 45 ascendit. Incipit ab epistula *Inter summi cardinis patres*, et epistula *Tametsi vir insignis* terminatur, absque titulo vel rubrica cujuslibet generis. Leguntur in marginibus notae cujusdam antiqui possessoris, inter quas haec praestantissima folio 60 reperitur : *Intempestive fortunam tuam beas, o Johannes, nescius tue necis casum turpissimum sed deflendum*. Cui notae manus paulo posterior haec adjecit : *Anno millesimo CCCC°XVIII° Parisius occisus est a Burgundionibus*.

II. *A* f° 72 *ad* f° 76 : Fragmenta habemus codicis cujusdam saeculo decimo exarati qui Venantii Fortunati prologum in vitam sancti Albini episcopi et confessoris continet.

7. *Cod. Paris. Bibl. nat. Gall.* 23281. — Membr. ; 0m,28 × 0m,17. Constat foliis 29. Fuit quondam Gaignières, numero 301 distinctus. Haec in ultimo folio a dicto Gaignières scripta sunt : *donné par M. l'abbé de Castres, le 21 octobre* 1709. Haec alia in folio quo olim codex opertus est leguntur, ubi manum eruditissimi viri Cl. Faucheti dignoscere mihi visus sunt : *acheté au Mans le vendredy* 10e *jour de juillet* 1579. 15 *s. t.* Scriptus est

saeculo quinto decimo ineunte. Continet Joannis de Monstrolio libellum adversus Anglos gallicum quem supra littera C distinxi (Vide p. 23).

8. *Cod. Romanus Vatic. Regin.* 894. — Chartaceus. Constat foliis 191. Fuit quondam Joannis Le Féron, tum Pauli Petavii, tum filii ejus Alexandri qui haec in primo folio inscripsit : *Alexander Pauli filius Petavius senator Parisiensis* 1647. Continet :

I. Chronica gallica lingua scripta sine auctoris nomine a principio mundi ad annum 1328. Hoc modo terminantur :

« Detur pro pena scriptoris pulchra puella.
Explicit, expliceat, ludere scriptor eat.

Ces croniques ont esté escriptes de la main de Jehan Chevreuse, clerc et serviteur de Me Guischart Rubent, bourgeois de Paris, et furent achevées le mercredi, jour de saint Sébastien, le XXe jour de janvier l'an mil cccc soixante douze (1) » (Fo 143).

II. Joannis de Monsterolio libellum gallicum adversus Anglos quem B distinximus, cum duobus epistulis in lingua gallica (Vide supra, p. 19).

Hoc modo terminatur :

« Explicit. Amen. Deo gracias. Amen.
Detur pro pena scriptoris pulchra puella.
Totum complevi ; te rogo, solve michi. »

(1) Nomina *Jehan Chevreuse* et *Guischart Rubent* supra lituram scripta sunt.

II

EPISTULAE JOANNIS DE MONSTEROLIO INEDITAE OCTO.

1. *Cuidam Italo, Antonio vocato, ut aliqua opera sua ad Joannem mittere dignetur.*

Fit apud me, vir eruditissime, tibi scribere molientem verissimum quod ait Cicero, ut recte quis sentiat et id polite eloqui non possit. Propterea tamen non terrebor quominus impetui meo satisfaciam, etsi subdat : *sed mandare quodquod litteris cogitationes suas, qui eas nec disponere nec accurate illustrare valeat nec delectatione aliqua lectorem allicere, hominis est intemperanter abutentis et otio et litteris.* Rideri autem malo ineptias meas ac lituras et erga te de insolentia suspicari quam non eniti si de scriptis et operibus ego tuis aliquid extorquebo. Sed te audio jam dicentem : « Quis es tu, amice mi? Unde hec tibi prorupit audacia? Que nostra mutua preeunt colloquia? Que scriptiones, que affinitates queve principia inter nos sunt, ut tibi mea communicem, queque vix intimis meis, ut glorie iners sum, notifico tibi pandam, tibi mittam? Qui scio an petas ut me temptes irrideasque et nil de rebus meis agas, sed ut sunt plerique eas laceres, mordeas et impugnes, et illorum te habeas more qui non quiescunt donec rem habeant concupitam, qua cum potiti sunt vilem putant et abjectam? » His vero dubietatibus, vir perspicassime, te noster venerandus An-

dreas (1) liberabit, cui spero fidem atque credentiam, ut nomen expostulat ac ipsius exigit autoritas apostolicam prope dabis, parebisque ejus pro me fervidis ac sinceris rogatibus nec renues, quo cum perdulci amicicia vincti simus, per regulam logicalem dicentem : quecunque uni et eidem sunt eadem, inter se sunt eadem, sequitur formaliter Anthonium et Johannem, jam non visos licet, invicem amicos factos esse. Immo te obsecro, vir lepidissime, et obtestor ut nos a cetero pro fratribus proque germanis mutuo habeamus et, cum Aristotile, sit nostrum quilibet alter ego. Vis me aliunde cognoscere, amice dilectissime ac preceptor optime? Ego sum Johannes ille qui ab illo latialis eloquentie plane principe, quantum michi conicere datum est, aut ei non eripias sertum illud, scilicet (2) Coluchio, cancellario florentino, ferme ducentas epistolas tam familiares quam civiles impetravi, emendatas quidem et correctas et eas sub unius voluminis fasce bibliotheca mea servat, preter suos de *Fato* et de *Verecundia* tractatus atque particularia alia monimenta sua multa que passim mea in domo vagantur et pro eloquutionis eruditione pueris meis plerisque aliis non rudibus sunt exemplar. Quippe *hec eadem ut sciret, quid non faciebat Amintas?* Tu ergo ut per ora similiter volites Gallorum de scriptionibus tuis predictis portionem largam mitte ; pernimium enim *tua Stimicon laudavit carmina nobis*, ut *ex illo Coridon*, cum Marone, *Coridon est tempore nobis.* Et cui magis deferes, non ambigo, utpote regi ac prophete, audi psalmistam pro me tibi veridice asserentem : *letabor ego super eloquia tua quasi qui invenit spolia multa.* Quod si Parisius, quo undiquaque discendi gracia affluitur, te transferres, cerneres ut nostre professionis quammulti te concomitarentur venerarenturque et colerent, si ultimo hoc verbo sacra tamen theologia ad mortalem sinat uti. Vale morigeraque.

(Cod., f° 59 v°.)

(1) Ut opinor, Andreas sive Andreolus de Arisiis, de quo vide supra, p. 89, et infra, p. 111.

(2) In codice perperam, *supra*.

2. *Cuidam, ut videtur Italo, gratias agit quod sibi orationem pro Q. Ligario miserat, oratque ut alia Ciceronis opera mittat.*

Maximas reverentie tue, pater conscripte, gratias ago et habeo de liberali efficacique missione tua orationis Marci Tullii pro Quinto Ligario dignitatem profecto ingenii opificis elegantissimi indicantis, quam utinam alie particulares orationes sue omnes sociassent! Cujus siquidem orationis occasione ipsius principis eloquentie quosdam michi libros conquisivi; verum quia apud nos rari sunt et penes vos in illis partibus, ut dicitur, in copia, obsecro, oro et obtestor quatinus ad hujus nobilis accessoris nepotis tui requestam mearumque supplicationum interventu quoquot (*sic*) plures ejusdem Ciceronis orationes ac epistolas suas quanticunque constiterint — qui modo non audeo de *Re publica*, de *Oratore*, de *Particione orationis*, de invectivis *in Verrem* et *in M. Anthonium*, de *Tusculanis questionibus* onus dare — mittere paternitas tua non omittat. Sitque preterea erga magistrum et imitatorem meum Colucium, cancellarium magnificentissimi communis Florentie dignissimum, tua dominatio adjutrix et fautrix cum predicto nepote tuo, ut idem venerabilis Colucius, in ornatu quidem meo judicio socium habens neminem, ut quasi in eo Lucium Crassum speculari debeamus, de actibus, scedulis, monimentis et scripturis suis per eundem accessorem mittat michi, tue dominationis et sue claritatis commodis servire animum habenti efficaciter preparatum. Scio autem ut ait Therentius, si quid tibi collibuit est facile ab eodem obtinere. Vale, memorque esto verbi tui in quo michi spem dedisti et parce michi, domine, parce, pater, si tibi in singulari numero sum loquutus, quia aliter scribere ipse Colucius a pridem vetuit michi et hac severitate sermonis utendum fore cum amicis evidentibus rationibus theologicis ac moralibus eleganter probavit. (*Ibid.*, f° 76 v°.)

3. *Nicolao de Clamengiis, de orthographia et prosodia.*

More hominum qui, dum alios argutius reprehendunt, pluribus ipsi sepe viciis coabundant, ego novissimo mendas et erro-

res ejus qui meas crebrius transcribit ineptias egre ferens, missivas ad te binas hac manu exaravi, quas si non pluribus, tribus saltim suspicor defectibus in notis litterarum subjacere. Ubi enim scribere debueram *summittere*, ubi *abundare*, ubi dicere *prepositos* intenderam, *propositos*, *submittere*, *habundare* scriptum fuit. Et id ex post animavertere me fecit quod cum ad causam elegantium et clarorum carminum tuorum *de clade Ecclesie* altercatio inter duos suboriretur quomodo terminus iste *xps* in orthografia annotaretur seu melius scriberetur, ab illis duobus scientificis sententiatum est per *cri* sillabicari debere, me in contrarium autoritate Ysidori annittente dicentis signanter de *xps* et *xrisma*, cum greca sint, per *x* scribi oportere. Sic dum sententiis et substantie deberemus immorari, elementarii facti sumus. Vale, ac refrica si ex proposito vel aliter primam de *odia*, quoniam brevis ab hujusmodi peritis asseritur, fecisti longam esse. (*Ibid.*, 13062, f° 16 v°.)

4. Petro de Alliaco epistulam ad Clamengium scriptam communicat.

Ne nichil rescripsisse, reverendissime pater, dominationi vestre hunc alumnum ejusdem paternitatis arguatis, brevem hanc scriptionem alia mea multiloqua ad thesaurarium nostrum Lingoneusem qui huc occasione data venit pregnantem, animum subiit transmittere, ut collationis discipulorum suorum partem magister capiat ac filiorum paternitas inter sollicitudines pastorales in aliquo prensentiam contempletur. Nusquam vero Nicolaus et Johannes pariter conveniunt quin sese ecce protinus immisceat et occurrat confestim magnus Petrus, nobis quemadmodum cum Salvatore dixissetis : Dum in nomine meo congregati fueritis, in medio vestrum sum. Opto valere vos, pater mi, veluti satiricus ait : Sana mens in corpore sano. De primo quanquam non sit apud me dubium ; ad postremum manus is medicas semper utinam prestet qui verbo tenus, ut est in dominica currenti, languidum fecit sanum.

(*Ibid.*, f° 82 v°.)

5. *Colutio Florentinorum cancellario, ut aliqua opera sua Joanni mittere dignetur.*

Non clam me est, vir eloquentissime et humanissime, quantum putari debeam importunus, questuosus, querulus ac molestus, qui tot tot petitionibus, tot clamoribus totque requestis, nullis meis precedentibus meritis, te audeo infestare, potissime circa tam multa gravia et ardua assidue distractum et occupatum. Sed jam non verebor, jam non timebo nec erubescam; jamjam tue urbanitatis januam iterum et iterum pulsare non verebor. Novi benignitatem tuam, novi clementiam, novi liberalitem, audivi mores tuos quibus, o mi Coluci, o mi frater, ut in Adelphis ait Thesipho, vereor coram in os te laudare amplius, ne id assentandi magis quam quod habeam gratum facere existimes. Ecce igitur quod peto, quod summo mentis affectu desidero quemadmodum pluries extimo (*sic*) ac noticiam tuam pervenisse. Cupio siquidem tuis actibus et scripturis muniri et imbui, pro qua re impetranda oneravit se presens accessor, cujus interventu et optatuum meorum ingentium respectu, de quibus si non tedeat ipse lator faciet fidem. Dignetur amicitia tua clara hunc famelicum et sitibundum scriptionibus suis, quo amplius atque copiosius tua opulentia valuerit, satiare, immo et aridam ac exanguem penitus et exilem siccitatem meam ex disertie tue animi fecundissimo et uberrimo irrorare. Est enim teste Tullio liberale officium serere beneficium ut metere possis fructum. Et, ut me nosti melius, est vetus aliud comici verbum : communia esse amicorum inter se omnia ; et aliud satirici :

> Scire tuum nichil est nisi te scire hoc sciat alter.

Ego autem ea que transmittes cum exquisitissimis meis ducam, inter que illa que pridem michi, dum cum recolende memorie domino Belvacensi degebam, ac tua declamatio Lucretie egregia perpolitissimaque profecto et venustissima ac alia opera tua ut potui extorquere tanquam de imitatore meo, si tuus dignus dici merear pedissequus, obtinent principatum. Fac igitur, vir optime,

ut in te verificetur illud quod ait ipse inclitus orator de Cesare : « Itaque tribuisti quidem tuis ita multa, ut michi esse beatiores illi videantur interdum qui tua liberalitate fruantur, quam tu ipse qui illis tam multa concedas. » Quid alii tuorum operum participes de hoc sentiant, ipsi viderint. Ego id de me ipso profiteor, me supra modum felicem qui tot a te tam preclara susceperim eoque feliciorem te ipso, quo illa pluris estimo quam ut arbitror tu ipse sis. Ex quo intelligis, ut adhuc uno Tullii verbo utar, quanta in dato beneficio sit laus, cum in accepto tanta sit gloria. Quod si in aliquibus tibi valeam obsequi, omnium quantum est qui vivant hominum, homo honoratissime, scias me manibus pedibusque, ut vulgatus sermo habet, omnia obnixe facturum. Vale, tibique illud Nasonis jugiter sit :

Auraque conveniens auspiciumque bonum.

Scripta, etc.

(*Ibid.*, f° 75 v°.)

6. *Galeotto de Petramala cardinali, adversus Petrarcham affirmantem extra Italiam oratores non esse quaerendos aut poetas* (1).

Non dici potest, generosissime pater atque reverendissime, quam eloquens, quam lenis et appositus et pariter elegantissimus, paulo minus quam si ex Ciceronis Maronisque et simul Therentii ingeniis prodiisset, visus est michi sermo tuus ille mellifluo Lactantii rore delibutus, qui in quodam cujusdam epistole tue ad Romanos rescripto cavetur, et ut quod me oblectat dicam sentenciis ornatior quam verbis. Ergo laudetur, vigeat, placeat, relegetur, ametur, ut ille maximus princeps ait. Cujusce modi rescriptum concanonicus meus in Insula et quem loco germani complector magister N. de Clamengiis michi ostendit, quo fit ut pro re pauca loquar. Si te reverendis-

(1) De eodem argumento vide longam epistulam Clamengii in operibus ejus sub n° 5 editam.

simum perprius habuerim, amodo tanquam virtuosissimum patremque precipuum et imitatorem te colam, qui a puero semper honoravi, semper amavi rethores et potissime bonitatis nomine insignitos. Quod si me, pater optime, aule castrales neutiquam habuissent nec adhuc suis hamis tenerent irretitum, vixque satis otium suppeditare possemus libenter huic pre ceteris intenderem arti. Quippe an ulla putas alia esse rudimenta et incunabula virtutis, quibus animi ad glorie cupiditatem aluntur, quemadmodum Salustio eloquentiam obicienti respondit Tullius. Hec hactenus. Ad ea que non minori facundia sua in figura humanitatis tue manu prefato magistro scribis Nicolao venio, precarissime pater, quorum unius particule occasione, dummodo tua id non egre ferat dominatio, non possum non moveri. Ais enim, pater circumspectissime, si rite audita recordor, in Petrarcha legisse — eloquar, an sileam? — extra Italiam oratores non esse querendos aut poetas. O artificem gloriosum! immo o verbum confidentis, non addam, ut ipse vocat Gallos, levis hominis, non veriti absentium tante multitudini detrahere et honorem avide furari, sed sub autoritate depromere quod penitus ignorabat, cum jam ei finitimus Sulmonensis non improvide predixisset :

> Quo minime credes gurgite, piscis erit.

Id siquidem, pace sua, etiam si verum foret, melius tacuisset, tot sua benedicta his polluens male dictis, et qui apud nos in honoris non parva estimatione habitus esset atque, ut apud Comicum est,

> Beatus, ni unum hoc desit, animus qui modeste
> Istec ferat.

Nimis effudi, fateor, patre coram specialiter tante autoritatis nec non gravitatis immense, et ut fatear, in excellentissimo ingenio virum. Sed in hac parte, Parmeno sum : que vera audio taceo; sin falsum aut varium aut fictum est, continuo pa-

lam est ubi precipue amate rei tangitur decus quodquam. De his tamen tua, dignissime pater, videat altissima discretio, quorum constituo correctricem, ut psalterium unisonum reddat ad citharam, quoniam non in fermento malicie, sed zelo patrie et tot venerabilium universitatum accensus amore hec dixi pauca cum deliberatione, nescio jam quamdam reverendissime tue paternitatis familiaritatem adeptus. Cui gratiam largiatur omnipotens, ut illa que in dicta epistola tua cum magnifice tum alte et insigniter deducta est Ecclesie materia tua circumspectione pulsatrice et directrice fine potiatur citissime toti seculo necessario.

(*Ibid.*, f° 63 v°.)

7. *Joanni Gersoni, an non Ecclesia catholica verba scriptorum gentilium citare et laudare possit.*

Nunc demum agnosco, pater venerande, quam potens sit hominis autoritas ac personarum estimatio, ut nuper cum de scriptione mea ad summum pontificem a tua paternitate quererem circa quid peccaret magis, in materia scilicet vel in forma, solum id pretendebas ineptum quod Ecclesia citra personatus officium comicum allegaret. In quo eidem autoritati protinus assentii, meque dehinc mutum reddidisti penitus tanquam brutum, ubi potissimum sentenciam tuam Ciceronis exemplo fulciebas nunquam aut usquam in orationibus comicos, ut dicebas, allegantis. At vero, insignis preceptor mi, occasione certa data ut ad ligandum impresentiarum committerem ejusdem Ciceronis epistolarum portionem cum nonnullis sue industrie aliis operibus, ad conspectum meum sese casu ipsius Ciceronis injecerunt ista verba : *Cum Vatinii defendendi stimulus michi esset, de quo in judicio cum illum defenderem, dixi me facere quidem quod in Eunucho Parasitus suaderet militi :*

Ubi nominabit Phedriam, tu Pamphilam
Continuo. Si quando illa dicet : Phedriam
Intromittamus commessatum, Pamphilam
Cantatum provocemus. Si laudabit hec

Illius formam, tu hujus contra. Denique
Par pari referto, quod eam mordeat (1).

Que postquam paulo accuratius attenderem, mentem subiit scrupulus quidam, jocone an serio id dixisses, et ut unum ex alio incidit, reminiscentie fit obviam ethicos Tullii libros sentenciarum Therentii, ut novisti, refertos omnes esse. Seneca insuper castigatissimus in sermone vix electissimum profert verbum quod non ad Epicuri orto decerptum fore fateatur, cum poetarum utriusque generis ad mores nostros inductione frequenti. Itaque animus fuit a tua prudentia rursus deposcere ut de illo magis magisque hesitantem, quod maxime ibidem Therentius per conformationem adducitur, certum reddas ac pariter doctum me facias si in divinis ac salubribus scripturis quipiam poete allegentur et an in sui latitudine alvei scriptura sacra allegabilia plura contineat quam Tullius, Demostenes sive Crassus, et si de omnibus indifferenter paganorum scriptis Ecclesia que omnem scientiam, artes omnes complectitur, ad suos cultores loqui possit. Vale, mi pater, et hujus discipuli tui desiderium, veluti tibi sua voce jam patuit, tuo sermone apostolico refice.

(*Ibid.*, f° 38 r°).

8. *Cuidam ignoto Ciceronis Verrinas mittit.*

Querenti michi, ut fit, hoc in Elicone modico alium libellum quemdam meum, nunc quasi dedicta opera sese ter quaterque Verrine mee, quas accomodati causa hesterno die quesiistis, obtulerunt, ut quasi innitendo dicere viderentur : « Mitte nos quas reicis isto modo ad virum doctissimum illum qui nos tantopere cupit et qui te magis, ut sentimus, nobis congratulabitur comiterque suscipiet, non dubitamus, et frequentius alloquetur. » Ego autem, reverende magister, verum perpendens istud esse et quod forsitan numen quoddam moleste ferebat margaritam tantam apud me sistere incognitam aut sopitam sic diutius re-

(1) Cic., *Ad famil.*, lib. I, cap. 9, § 19.

manere et precipue annuere desiderans vestris votis, ecce Verrinas ipsas benivolentie vestre fert accessor. Precor igitur et enixe obsecro ut eas corruptas in parte atque laceras alias ut vidistis, ingenii vestri clarissimi acu resuantur, ac disertie corrigantur pectine et comantur, quatinus ad me dum redierint incudis vestre limam fragrantes et vobiscum glorientur extitisse et michi cui re correcta opus est, ut pote ignaro et inscio, eas tunc visendi occasio peramplius ingeratur et delectabile sit. Valete. Scripta etc.

(*Ibid.*, f° 89 v°).

III

COLUTII FLORENTINORUM CANCELLARII AD JOANNEM DE MONSTEROLIO EPISTULA INEDITA (1).

Venerabili viro domino Johanni de Monsterolis (sic) *preposito sancti Petri et regis Francorum secretario.*

Plurime venerationis et insignis eloquentie vir, frater optime, amice karissime, nisi quia tibi per inadvertentiam in dilectionisque [et] amicitie fervore promisi quasdam ex epistolis meis caritati tue transmittere, que sic me devinxit quod nichil recusare[m] quod jusseris, fuissem, si petitionem tuam mecum digessissem, nedum parcior expromissor sed promtissimus denegator, parumque deficit quin decesserim, licet reus, quia debitor, factus fuerim, memor fidem esse fidem, cum temere promiseris, non servare. Sed nimis imperiosus es qui sceptrum amicitie tenens jubes et extorques dum tibi places quod amico non deceat impetrare. Non tantum enim beneplacitis nostris in amicitie cultu favere debemus quin longe magis consulamus amico. Sic satianda mentis nostre libido, licet honesta sit, quod

(1) Alia est Colutii ad Joannem epistula inter ejusdem epistulas a L. Mehus edita, sub n° 13; incipit his verbis : *Petis et instas*, et in *Ampl. Coll.* epistulis Joannis de Monsterolio subjecta est ab editoribus qui eam Colutii esse ignoraverunt.

amico non noceas; que res sepissime facit quod alias quod communiter sit honestum a sua deficiat honestate, si bene non congruat amici rebus. Quantum autem ad publicandas epistolas meas attinet, quid sentiam diligentissime discussi cum domino Paduano longa satis epistola quam inter illas exemplari feci; videbis ut ex illius serie judicium tuum sit an tu feceris amicabiliter hoc exigere an ego temerarie vel promittere vel promissa servare. Mitto tibi tamen contra dispositionem meam viginti septem ex epistolis meis privatis et nonaginta sex publicas que privatarum volumen vix adequant. Nec expectes tu vel alius, dum vixero, de meis epistolis similem largitatem. Hereditarium filiorum meorum qui me colunt, et post fata, sicut arbitror, colent, onus erit illas in volùmen unum redigere quas viderint graviores. Mitto preterea tibi libellum quem edidi de *Fato*; quod superest de *Fortuna* cum absolverim habebis, quoniam id opus ut corrigas (*sic*) velim ad sapientum venire notitiam. Epistolas obtatas Abaialardi Bonaccursio (1) tradas; gaudeoque nomen ejus qui nesciebatur in Gallia tibi forte et multis aliis renovasse quod Italis etiam tradam. Nunc vide quid cupiam. Fecit Augustinus septem, ni fallor, de musica libros quibus Latium caret; spero quod istic sint in aliqua libraria. Fac precor librum diligenter inquiri et Bonaccursus meus illum exemplari faciet. Audio, nescio tamen si verum est, quod Andreuolus de Arisiis (2), cancellarius domini ducis Mediolani, qui moram in Gallia continuam trahit, reperit totum Quintilianum de Institutione oratoria quem habemus admodum diminutum; quamobrem te exoratum velim quatenus hoc scisciteris, sique reperieris verum esse, fac ut idem Bonaccursus ita copiam habeat quod cum diligentia faciat exemplari. Utrumque librum, licet de priore major mihi spes sit, in optima littera et quanto magis fieri poterit italice simili summe desidero. Vale felix et mei memor, et de epistolis

(1) Bonaccursius de Pittis, qui nomine reipublicae florentinae plures legationes ad Carolum VI obiit.

(2) Vide de eo supra, p. 89, et 101.

oro consulas honori meo, quod fore credam si duxeris occulendas. Florentie pridie idus quintilis.

(Florence, Bibl. Laurent. plut. XC sup., cod. 41, t. III, p. 128).

VIDI AC PERLEGI :

Lutetiae Parisiorum, in Sorbona, a. d. XII kal. jul. ann. MDCCCLXXXIII.
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi decanus,

A. HIMLY.

TYPIS MANDETUR :

Academiae Parisiensis Rector,

GRÉARD.

INDEX

8

APPENDICES

TOLOSÆ. — EX TYPIS A. CHAUVIN ET FILS, VIA DICTA DES SALENQUES, 28.